in judicio: quare accipiendus eſt præſens textus de ſecundis œconomis, qui ad Eccleſiæ honorum, fructuumque perceptionem, & conſervationem deputantur, ut docet Gloſſa *in præſenti*. Quare licet ad patronum laicum ſpectet cuſtodia vacantis Eccleſiæ, videlicet ejus protectio, & defenſio in judicio; tamen cum non poſſit ex dicta prohibitione Conc. Chalc. *d. can. 22.* conſtitui œconomus ad adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ, tam in ſpiritualibus, quam temporalibus; ideo cum Eccleſia eſt juriſpatronatus laicalis, Epiſcopus debet conſtituere œconomum Eccleſiaſticum, qui eam regat, atque ejus redditus ſucceſſori ſervet: quæ œconomi deſignatio cum patronus Eccleſiaſticus eſt, non deſideratur, quia ipſe per ſe eſt capax omnis cuſtodiæ, & regiminis ipſius Eccleſiæ. Conſuetudine tamen introduci valet, ut cuſtodia rerum Eccleſiæ vacantis quoad fructuum adminiſtrationem poſſit ad laicum pertinere, ut docent Lambert *de jurep. lib. 2. p. 2. q. 1. princ. ar. 29. n. 12.* Vivianus *eod. tr. p. 2. lib. 7. c. 8. n. 2.* unde in Hiſpania noſtra, tum ob conſuetudinem præſcriptam, tum quia magnus noſter Monarcha eſt patronus Eccleſiarum Cathedralium, poteſt etiam laicus deſignari, & conſtitui ad adminiſtrationem fructuum Eccleſiæ vacantis, ut docent Greg. Lopez *in lib. 18. tit. 5. p. 1.* Palacio Rubios *in tr. de beneficiis vacant. in Curia, §. 10.* Valenzuela *conſ. 196. n. 94.* Solorzanus *d. c. 12. fere per totum*. Chriſt. Lupus *ubi ſupra*.

7 *Reſpondetur ſecundæ difficultati.* Nec obſtat ſecunda difficultas, quæ bimembris eſt. Primæ enim ejus parti reſpondendum eſt, verum eſſe eo caſu, in quo inter patronos alicujus Eccleſiæ lis diſceptatur ſuper præſentatione, Epiſcopum poſſe Eccleſiam claudere, & Miſſarum ſolemnia interdicere, donec patroni in eligendo conſentiant, *d. c. 3. de jurepatr.* ſed hoc procedit cum eis vertitur inter patronos, aut patroni hæredes; præſens vero textus procedit, cum lis tractatur inter patronum, & Epiſcopum, ad quem ſpectat collatio, & inſtitutio, quo caſu non poteſt Epiſcopus Miſſarum ſolemnia interdicere, aut eligere Capellanum, etiam elapſo ſemeſtri. Diſcriminis ratio ex eo provenit, nam in hoc ſecundo caſu, ſi Epiſcopus ob diſſidium cum patrono poſſet eligere, ſemper lites protraheret, & diſcordias armaret cum patronis etiam legitimis, ut ſic elapſo ſemeſtri capellanum præſentare poſſet: quæ ratio ceſſat in primo caſu; ideo in eo poteſt Epiſcopus ob moram, & negligentiam patroni clericum præſentare, & inſtituere. Secundæ parti difficultatis facile ex ſupradictis reſpondetur. Nec tandem obſtat ultima difficultas, pro cujus ſolutione ſciendum eſt, ſatis controverſum eſſe apud Interpretes, ad quem ſpectent fructus Eccleſiæ vacantis. Aliqui enim affirmant, futuro ſucceſſori reſervari debere, moti hoc textu, & Clem. *ſtatutum, de elect. extrav. ſuſcepti, in princ. verſ. Itaque, eod. tit.* Ita docuerunt Panvinus *de officio Capituli Sede vacant. p. 1. princ. q. 1. n. 1.* Covarr. *in c. relatum, n. 3. de teſtam.* Redoanus *de ſpoliis, q. 1. n. 10. & q. 5. n. 3.* Azor *t. 2. inſt. lib. 8. c. 4. pag. 965.* Garcia *de beneficiis, 2. p. c. 5. n. 89.* Valenzuela *d. conſ. 94. n. 60.* Contraria tamen ſententia, videlicet fructus vacantis Eccleſiæ dividendos eſſe inter ejus fabricam, & ſucceſſorem, probatur ex juribus ſupra adductis, & præſenti deciſione, ſi recte perpendatur. Michael Rouſſellius *lib. 5. hiſtor. c. 1. & 3.* ait, bona ab Epiſcopo relicta, & intuitu Eccleſiæ acquiſita, Eccleſiæ viduatæ reſervari in ejus utilitatem convertenda; fructus vero Sede Epiſcopali vacante perceptos futuro Epiſcopo reſervari. Juxta quam diſtinctionem accipit textus *in c. ſæpe, 40. diſt. d. Clem. ſtatutum, de elect.* Conc. Illerd. *can. 16.* Sed circa hanc diviſionem fructuum inter ſucceſſorem in Epiſcopatu, aut beneficio, & prædeceſſorem, omiſſa Gloſſa *in c. præſenti, de officio ordin. lib. 6.* quæ diſtinguit inter beneficia, quæ habent adminiſtrationem, & quæ non habent, ut fructus priorum pro rata inter ſucceſſorem, & prædeceſſorem dividantur, ceterorum vero fructus, quæ adminiſtrationem non habent, pertineant ad ſucceſſorem, ſi nondum percepti ſint: omiſſa etiam ſententia Navarri *in apolog. de credit. q. 2. monito 13.* qui exiſtimavit, omnes fructus pendentes ad ſucceſſorem ſpectare, quem ſecuti fuerunt Gutier. *lib. 1. canonic. c. 33.* Barboſa *de poteſt. Epiſc. alleg. 117. n. 6.* dicendum eſt, pro rata anni omnes fructus pendentes cujuſcumque beneficii dividendos eſſe inter heredes defuncti, & ſucceſſorem, ut docent Sarmiento *de redditibus 4. p. c. 6.* Covarr. *lib. 1. variar. c. 15. n. 11.* Avendanno *reſponſo 5. n. 5.* Molina *lib. 3. de prim. c. 11. n. 4.* Vallaſcus *de partit. c. 36. ex n. 9.* Caſtillo *de uſufructu c. 79.* Eſcobar *de ratiociniis, t. 2. comput. 20.* Molina *de juſt. 3. t. diſp. 635.* Garcia *de beneficiis, 2. p. c. 5. ex n. 94.* Parladorius *differ. 120. §. 1.* Baptiſta Coſta *de ratione rata, q. 29.* eleganter, ut ſolet, Æneas Robertus *lib. 3. rerum judic. c. 4. verſic. Tertia opinio*. Quod procedit ſive per obitum, reſignationem, aut alio quovis modo beneficium vacaverit; quo modo accipiendum eſt quod dicitur, fructus obvenientes tempore vacantis Eccleſiæ, debere impendi in Eccleſiarum utilitatem, vel reſervari ſucceſſoribus, *c. quia ſæpe 40. de elect. lib. 6. c. præſenti, de officio Ordin. eod. lib. Clement. Statutum, de elect.* juxta diverſas Eccleſiarum conſuetudines, nempe ut non tantum fructus percepti poſt vacationem reſerventur, ſed & pro rata fructus, quos ipſe non lucrifecit prædeceſſor. Solorzanus *t. de jure Indiar. lib. 3. c. 5. ex n. 45.* Noguerol *alleg. 26. ar. 5.* quæ doctrina vera eſt in beneficiis; tam reſpectu anteceſſoris, quam ſucceſſoris, fallit vero in Epiſcopatibus reſpectu ſucceſſoris, quippe Camera Apoſtolica percipit fructus Eccleſiæ vacantis, ex conſtitutionibus Pauli III. Julii III. Pauli IV. & S. Pii V. quarum meminit Barboſa *voto 101.* & ita in Hiſpania fructus non pertinent ad ſucceſſorem, niſi ex die gratiæ a Pontifice factæ: cujus Hiſpaniæ praxis teſtes ſunt Garcia *d. c. 5.* Solorzanus *lib. 4. polit. c. 11.* Marinis *lib. 1. reſol. c. 152.* idemque obſervari in Eccleſiis Siciliæ, refert D. Rochus Pirro *t. 2. Siciliæ ſacræ, in notitia Eccleſiæ Melit. fol. 617.* licet aliud obſervetur in Gallia, ut ex veteri, & novo Eccleſiæ Gallicanæ jure refert Petrus Marcha *lib. 8. concord. c. 18.* Imo & in Epiſcopatibus novi orbis, ut referunt Valenzuela, & Solorzanus *ubi ſupra*.

Adhuc ſuperiori aſſertioni obſtat textus *in c. ult. ut lite pendente, lib. 6.* ubi ſtatuitur, lite pendente ſuper beneficio, interim neque eligi, neque præſentari quemquam poſſe, neque aliquid innovari: igitur neque ejus adminiſtrationi œconomus præfici valet. Cui difficultati reſpondendum eſt, verum eſſe, lite pendente ſuper jure eligendi, vel præſentandi in aliqua Eccleſia, aliquid innovari non poſſe in præjudicium litis pendentis, & ipſorum litigatorum, *c. 1. & 3. ut lite pendente, lib. 6.* Covar. *pract. q. 13. in princ. & q. 36. n. 7.* aliquid vero innovari poteſt, ubi ad faciliorem expeditionem, & proprii muneris legitimam executionem deſideratur, prout eſt œconomi conſtitutio, argumento capitis *cum teneamur 17. de appell.* Covar. *pract. q. 23. n. 1.* & cum ex hac œconomi conſtitutione præjudicium patrono non irrogetur, ſed conſulatur Eccleſiæ, & ejus redditibus; ideo Epiſcopus etiam lite pendente poteſt œconomum in Eccleſia vacante conſtituere. 8 *Intelligitur c. ult. ut lite pend. l. 6.*

Etiam expendi poteſt adverſus hanc aſſertionem textus *in c. ea quæ, de officio Archid.* ubi deciditur, vacante Eccleſia Cathedrali curam totius cimelii ad Archidiaconum ſpectare, cujus negligentia valde damnatur in eo textu: igitur vacante Eccleſia, etiamſi Paſtoris electio differatur, non eſt neceſſaria œconomi conſtitutio. Pro cujus textus ſolutione dicendum eſt, quod ſicut Epiſcopo competit conſtitutio œconomi, & cuſtodia Eccleſiæ illius, in qua jus inſtituendi habet, ita & Archidiaconus in Eccleſiis inferioribus, in quibus inſtitutio ad eum ſpectat, poteſt deſignare œconomum Eccleſiæ vacanti, quia cuſtodia ipſius ad eum pertinet: de quibus Eccleſiis agitur *in d. c. ea quæ, c. 3. cum veniſſent, de inſt.* & ideo *in d. c. ea quæ*, docetur, curam rerum in cimelio exiſtentium ad Archidiaconum ſpectare, quia ſupponitur in ea Eccleſia Archidiacono jus inſtitutionis competere. 9 *Exponitur c. ea quæ, de officio Archid.*

C A P U T V.

Idem a *Cantuar. Archiepiſcopo.*

EX parte tua nobis conſtanti aſſertione propoſitum eſt, quod interdum quidam pro certis cauſis excommunicati Sedem Apoſtolicam viſitant, & reticentes cauſas, pro quibus ſunt vinculo excommunicationis adſtricti, de abſolutione litteras deferunt, continentes eos ad Apoſtolicam Sedem acceſſiſſe, & auditis confeſſionibus ſuis, abſolutionis beneficium meruiſſe. Unde quia nos conſulere voluiſti, utrum illa abſolutio teneat, ſi occultatis exceſſibus, pro quibus excommunicati fuerant, abſolutionis beneficium meruerunt, ſive excommunicationis cauſam aliam prætendentes. Conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quod ſi ita tibi conſtiterit, eos cogere debes eccleſiaſtica cenſura, cum litteris tuis rei veritatem continentibus ad Apoſtolicam Sedem redire. Si vero id tibi non conſtiterit, & eos ſuſpectos habueris, quod non fuerint veritatem confeſſi, ipſos *b* compellere debes, quod exinde coram te rei veritatem confeſſi fuerint, *c* purgationem præſtare.

N O T Æ.

1 a IDem Cantuar.) Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. c. 7.* poſt Conc. autem Later. *p. 31. c. 1.* legitur, *Exonienſi Epiſcopo*; quæcumque tamen inſcriptio retineatur, conſtat præſentem epiſtolam miſſam fuiſſe Præſuli Anglicano.

2 b *Compellere.*) Hinc deducitur, excommunicatum ex una cauſa, poſſe ex alia etiam excommunicari. Docent, & explicant Suar. *de cenſur. diſp. 5. ſect. 2. n. 6.* Sayrus *eod. tr. lib. 1. cap. 10. num. 1.* Covar. Layman, & Villalobos relati a Gibalino *de cenſuris diſquiſit. 5. quæſt. 4.* & expoſui *in cap.* .....

c *Purgationem.*) Quando, & quomodo indicenda ſit purgatio, dicemus *in c. 1. de purgat. canonica*. 3

Ex hoc textu communiter deducitur, abſolutionem a cenſuris impetratam per ſubreptionem, aut obreptionem, non valere; quod etiam probatur *ex c. cum cauſſa, c. officii, de ſent. excom. c. poſt 7. de fide inſtrum. c. ſuper 5. de cohabitat. cleric.* Concluſionem examinavi *in c. ſuper 20. de reſcriptis*, ubi expoſui, *c. quia circa, de conſang. c. ex parte, de privil. can. 72. Concilii Africani.*

CAPUT

C A P U T VI.

a Cæleſtinus III.

SIgnificavit nobis tua f. quod quidam de parochianis tuis, cum pro illicita conſanguinitatis, vel affinitatis copula excommunicatione notantur, ad judices remotiores ab Apoſtolica Sede litteras *b* impetrarunt commiſſionis, per quas cum ab excommunicatione fuerint abſoluti, quia dicti delegati ad locum, ubi teſtes conſanguinitatis, vel affinitatis produci valeant, non accedunt, aut aliquos pro eorum receptione *c* tranſmittunt, in prænominata *d* nefariæ conjunctionis copula remanent, ut cauſa debitum non ſortiatur effectum. Unde poſtulaſti a nobis, quid tibi ſit in tali articulo faciendum. Cum itaque dolus ſuus alicui patrocinari non debeat, nec etiam pro malitia, vel deſidia judicis delegati debeat quis ad remanendum in copula conjunctionis iniquæ ſuffragium invenire: t. f. tale damus in hac conſultatione reſponſum, quod quoties ea, quæ prædiximus, in tua diœceſi evenire contingat, licite potes aliter abſolutos in priſtinam excommunicationis *e* ſententiam revocare, ipſoſque tamdiu eadem ſententia tenere ligatos, donec cauſa in *f* receptione teſtium, & in aliis legitimum incipiat habere progreſſum, vel aliud exinde ſuſcipias ab Apoſtolica Sede mandatum.

N O T Æ.

1 a CÆleſtinus.) Neque ex hac, neque ex ſecunda collectione, *ſub hoc tit. cap. 2.* ubi reperitur hæc deciſio, conſtat cui miſſa ſit. De ipſo vero Cæleſtino aliqua notavi in *in cap. ſciſcitatus, de reſcriptis*. Aliæ tamen partes hujus decretalis reperiuntur *in cap. 6. & 7. de teſtib. cogendis*.

2 b *Impetrarunt.*) Quando excommunicati litteras, tam juſtitiæ, quam gratiæ impetrare poſſint, expoſiti *in c. ab excommunicato, de reſcriptis*.

c *Tranſmittunt.*) Quando judex teneatur accedere ad locum ubi teſtes degunt, dicemus, Deo annuente, *in c. ſi quis teſtium, de teſtibus*. 3

d *Nefaria.*) Ideſt inceſtuoſæ conjunctionis; non vero nefaria proprie conjunctio erat, ſed a gravitate delicti nefaria dicitur, ut *in c. dolentes, de celebr. Miſſarum*.

e *Sententiam revocare.*) Hæc verba expoſui *in c. ſtuduiſti, de officio Legati*.

f *Receptione.*) Poſt abſolutionem videlicet, alias excommunicati non poſſent eſſe in judicio, *c. intelleximus, de judiciis, c. 2. de exceptionibus*. 4

C A P U T VII.

Innocentius III. a *Auſcitano Archiepiſcopo.*

QUanto devotio religioſorum virorum ſtudioſius mandatis divinis inhæret, & Creatori ſuo placere per opera ſanctæ converſationis intendit, tanto humani generis inimicus ſeductionem eorum ſuæ fraudis malignitate laborat, & variis modis eis præſtat materiam excedendi, & animas eorum inextricabili laqueo nititur irretire. Ad audientiam ſiquidem noſtram noveris perveniſſe, quod monachi, *b* canonici regulares, & alii in tua provincia conſtituti, cum deberent potius in clauſtro, juxta regularia conſtituta, divinis obſequiis vigilare, de *c* obedientiis, & redditibus, quorum curam geſſerunt, pecunia congregata, clauſtrum abhorrentes, per curias Principum, & potentum diſcurrere non verentur, & muneribus ſuis illorum ſibi gratiam, & favorem acquirunt, ac de ipſorum familiaritate confiſi, in conventu ſuo graves diſſenſiones commovent, & ceterorum humilitatem in ſpiritu arrogantiæ contemnentes, mandatis Prælatorum ſuorum inobedientes, contumaces exiſtunt, & contra illorum prohibitionem ſæcularium negotiorum ſollicitudinibus ſe immergunt. Quoniam igitur propter hoc ordo Religionis non modicum enervatur, f. t. per A. ſ. m. quat. quoſcumque tales inveneris, niſi ad commonitionem tuam reſipuerint, ut *d* proprium ſuum in manibus Prælatorum ſuorum ſine difficultate reſignent, convertendum in utilitatem domus, ſecundum Abbatis conſilium, & regularem vitam obſervent, ſi *e* Prælati eorum poſt tuam commonitionem id exequi negligenter omiſerint, per *f* ſuſpenſionem officii, & beneficii, ap. rem. compellas. Dat. Lat. XIV. Cal. April.

N O T Æ.

1 a AUſcitano.) Ita legitur etiam in tertia collectione, *ſub hoc tit. c. 1.* & in epiſtolis Innocentii III. editis, & caſtigatis a Sirleto, *lib. 1. ep. 80. fol. 38.* Auxitani, ſive Auſcitani, ut volunt Strabo, & Ptolomeus, ſunt populi in Aquitania. Pomponius Mela *de ſitu orbis*: ibi: *Aquitanorum clariſſimi ſunt Auſci; ipſi autem Auxitani ſunt in Vaſconia Aquitanica, qui jus Latii a Romanis obtinuerunt, teſtante eodem Strabone*. Ipſa autem Auſcitana civitas jam olim habuit Eccleſiam Cathedralem, in quam Metropolis Eluſina tranſlata fuit, ut refert Arnaldus Ojenat. *in notitia utriuſque Vaſconiæ, lib. 3. c. 8.* licet aliter ſentiat Boſquetus *ad Innoc. lib. 2. regeſtr. 14. epiſt. 32.* Mentio fit hujus Eccleſiæ *in c. 1. de tregua & pace, in 5. collect.* ejus Præſuli Bernardo dicto miſſa eſt præſens epiſtola, quem poſtea *lib. 2. regeſtr. 14. epiſt. 32.* admonuit, ut cum ſuſcepto muneri eſſet impar, Epiſcopatui renuntiaret. Et tandem *lib. 4. regeſtr. 16. epiſt. 5.* certis Epiſcopis, & judicibus inquiſitionem commiſit ſuper ejus exceſſibus.

b *Monachis, & Canonicis.*) Sunt enim in ea Metropoli varia monaſteria, tam D. Benedicti, quam Bernardi, necnon plures Eccleſiæ canonicorum regul. Ordinis Præmonſtratenſis; quas refert Tamburinus *in ſerie Abbatiarum; in Auſcitana Metropoli*.

2 c *Obedientiis.*) Omiſſis obedientiæ variis acceptionibus, de quibus repetentes ad rubricam *de majorit. & obed.* obedientiæ in præſenti accipiuntur pro monaſteriis inferioribus, quæ majori monaſterio parent; a qua ſubjectione Prioratus ipſi, & Abbatiæ nomen accipiunt, & obedientiæ appellantur; & qui præpoſitus illis eſt, obediens dicitur. Ivo Carnot. *epiſt. 163. De monacho illo, quem juramento conſtrinxiſtis, ne ultra illam adminiſtraret obedientiam*. Gregor. VII. *lib. 6. epiſt. 21. Obedientias, ceteraque beneficia ſine communi conſenſu fratrum acquiſierat*. Ipſique obedientiarii, qui in eis præponebantur, adminiſtrabant fructus, & proventus ipſius obedientiæ. *Clement. 1. de ſupplend. neglig. c. cum ſingula, de præbendis, lib. 6.* & nulli prædictæ obedientiæ conferri poterant, niſi expreſſe profeſſo ipſum Ordinem monachalem. *Clement. ne in agro 5. §. ſane, de ſtatu monach.* De his obedientiis agitur *in cap. ſuborta 21. de re judicata, cap. monachi, de ſtatu monach.* aliqua notarunt Cironius *ad tit. de majorit. & obed. & ad tit. de feudis*, Paulus Idumay *in notis ad Innocent. lib. 2. ep. 29. regeſtr. 14.* ubi & Boſquetus; Juretus *ad Ivonem, dicta ep. 163.*

3 d *Proprium.*) Quod magnopere a ſacris canonibus prohibitum eſt; ſiquidem religioſi emittentes paupertatis votum, nihil omni modo poſſidere valent, *c. ſuper, c. cum ad monaſterium, c. monachi, §. quia vero, de ſtatu monach.* plura Conciliorum decreta, & Sanctorum PP. teſtimonia congerunt Lantdmeter. *lib. 2. de veteri clerico, cap. 11.* Lemaiſtre *de inſtit. Epiſc. lib. 1. per totum*. Mendoza *q. 8. ſcholaſt.* Jodocus Coccius *lib. 4. theſaur. ar. 3.* Bellarminus *lib. 2. de monachis, c. 20.* Juretus *ad epiſt. 57. Ivonis*. Sed difficilis videtur hæc Innocentii epiſtola, dum ſupponit, peculium a monachis poſſeſſum, & acquiſitum debere in manibus Prælati reſignari; nam *in d. c. cum ad monaſterium*, poſtquam ipſe Innocentius ſub obteſtatione divini judicii prohibuit monachis proprium poſſidere, ſtatuit, ut ſi peculium apud aliquem reperiatur tempore mortis, cum ipſo monacho proprietario in ſterquilinio ſepeliatur; igitur non recte in præſenti affirmatur, peculium a monacho congregatum, & acquiſitum, in utilitatem monaſterii eſſe convertendum. Pro cujus difficultatis ſolutione diſcrimen eſt conſtituendum inter res acquiſitas a monacho ex adminiſtratione, & occaſione ipſius monaſterii, & aliunde quæſitas. Res intuitu monaſterii acquiſitæ, ſive in vita, ſive in morte penes ipſum reperiantur, lucro monaſterii cedunt; res vero aliunde quæſitæ, Abbati, & per conſequens monaſterio acquiruntur, *c. Abbates 18. q. 2. l. Deo, C. de Epiſc. & Cleric.* Petrus Gregor. *lib. 1. partit. tit. 26. c. 4.* Azor. *tom. 1. inſt. l. 12. c. 10.* ſed ſi tempore mortis res ipſæ reperiantur penes monachum, ſepeliuntur cum ipſo in ſterquilinio, ut alii ita terreantur, & proprium peculium ullo modo non retineant.

4 e *Prælati eorum.*) Hæc verba ad Epiſcopos diœceſanos eſſe referenda, exiſtimarunt Hoſtienſis, Anania, & Butrius *in præſenti*: ſed rectius Joannes Andreas, & alii antiquiores exiſtimarunt, ea verba eſſe referenda ad Abbates, ſeu Priores ipſorum monachorum; ita ut ſenſus hujus clauſulæ ſit, Archiepiſcopum debere admonere ipſos Abbates, ut retrahant monachos vagabundos, & illis negligentibus prædictos monachos retrahere, Epiſcopis diœceſanis jubere debere, ut eos retrahant ad propria clauſtra; & tandem ipſis Epiſcopis negligentibus, Archiepiſcopus per ſe omnium negligentiam ſuppleat.

5 f *Suſpenſionem officii & beneficii.*) Eadem etiam hæſitatio eſt circa hæc verba apud Interpretes in præſenti, an videlicet hæc verba referenda ſint ad Prælatos regulares, an vero ad Epiſcopos diœceſanos. Sed verior eſt eorum ſententia, quæ affirmat

hæc

BIBLIOTECA CENTRAL

hæc verba eſſe referenda ad Prælatos regulares, qui ob negligentiam in retrahendis monachis vagabundis ſuſpendendi ſunt ab officio, & beneficio. Nec inſolens eſt in jure noſtro, ut Prælati regulares pro ſuis ſceleribus officio, & beneficio ſuſpendantur, *c. dilectus*, *el* 2. *de ſimonia*, *c. monachi*, *de ſtatu monach.* Beneficium autem hic accipitur pro ipſa obedientia, ut jam ex epiſtola Gregorii VII. probavi.

COMMENTARIUM.

6 Concluſio deducitur, & probatur.

Ex hac epiſtola ſequens deducitur aſſertio: „ Monachi, ſeu Canonici regulares, non debent relicto clauſtro adire Principum curias; quod ſi fecerint, a Prælato ſunt revocandi, & eo negligente, Epiſcopus retrahet ipſos ad monaſterium. Probant textus *in c. placuit* 8. *c. interdicimus*, *c. juxta*, *c. qui vere*, *c. monachi*, 16. *q.* 1. *c. quam ſit*, *c. nullus*, *c. Abbates*, *c. monaſteria* 18. *q.* 2. *c. monachum* 20. *q.* 4. *c. ſi quis* 5. 91. *diſt. c. mulieres* 2. *in fine*, *de judiciis lib.* 6. *c.* 1. §. *penult. de ſtatu monach. eod. lib. Clem.* 1. §. *quia vero*, *eod. tit.* Concilium Meldenſe *can.* 57. „ Monachi, quibus monaſteriorum cura commiſſa non eſt, paſſim, & ſine auctoritate Palatium ne adeant, neque in eo morentur. *Conc. Pariſ. ſub Lodovico lib.* 3. *c.* 14. Illud a veſtra pietate ſuppliciter flagitamus, ut monachi, & Presbyteri, necnon & clerici, qui poſtpoſita auctoritate canonica Palatium adeunt, & veſtris ſacris auribus importuniſſimam moleſtiam inferunt, veſtra auctoritate, & poteſtate deterreantur, ne hoc facere præſumant; quoniam in ejuſmodi facto, & vigor Eccleſiaſticus contemnitur, & religio, & profeſſio monaſtica vilior efficitur. *Et* lib. 1. c. 36. Multi Eccleſiaſticæ regulæ ſubjecti, propoſiti, & loci ſui deſertores effecti, paſſim quocumque eis voluntas ſuaſerit, poſthabita auctoritate canonica, pergunt, & non ſolum ab aliis Epiſcopis, & Abbatibus, verum etiam a Comitibus, & nonnullis aliis nobilibus viris recipiuntur; quod quantum & a divina & canonica auctoritate diſcordet, in promptu eſt; quod ne ulterius fiat, ab Epiſcopis, & ceteris Eccleſiaſticis Prælatis præſtandum. *Synodus Antioch.* can. 11. *Sardic.* can. 7. 8. 9. & 11. *Aquiſgr.* 1. can. 73. & 2. *ſub Ludovico* par. 4. c. 23. Poſtulandum eſt de monachis, ut & ipſi in publicis locis ſine ratione decenti diſcurrere prohibeantur, quia hoc a propoſito ipſorum procul abſiſtit: fieri etiam poteſt, ut quidam illorum perpetrato ſcelere in monaſterio, cauſam vagandi potius eligant, quam regularibus diſciplinis ſubjacere. “ Hæc & alia juris teſtimonia congerunt Decretiſtæ, Burchardus *lib.* 2. *ex c.* 141. Carnotenſis *lib.* 3. *tit.* 16. Anſelmus *lib.* 5. *tit.* 54. Anton. Aug. *in epit. lib.* 9. *tit.* 41. Illuſtrant ultra relatos a Barboſa *in præſenti*, & *lib.* 1. *juris Eccl. c.* 43. *n.* 106. & *de poteſt. Epiſc.* 3 *p. alleg.* 103. Fileſacus *in præſenti*, Boſquetus *in notis ad Innoc. lib.* 1. *ep.* 5. Mendoza *lib.* 2. *pro confirm. Concil. c.* 30. Germonius *lib.* 3. *de ſacror. immunit. c.* 4. Stephanus Durantius *q.* 7. Renatus Chopinus *lib.* 1. *monaſt. tit.* 1. Tamburinus *de jure Abbat. diſp.* 14. *quæſit.* 10. Delbene *t.* 1. *de immun. c.* 14. Gironius *ad titul. de ſtatu monach.* plures referens Gibalin. *de clauſura*, *diſq.* 2. *c.* 2. §. 3. *n.* 19. & *de cenſuris in ſynopſi*, *p.* 448.

7 Impugnatur hæc aſſertio.

Hæc aſſertio ita illuſtrata impugnari valet duplici juris conſideratione. Prima naſcitur ex dicto can. 57. Concilii Meldenſis ſupra relato, & dicta Clementina 1. §. *quia vero*; ex quibus deducitur, monachos adminiſtrationem aliquam habentes poſſe extra clauſtra monaſterii degere, Curiaſque Principum adire; ſed monachi, de quibus in præſenti agit Innocentius, obedientiis, ideſt monaſterii adminiſtrationibus, ut ſupra expoſui, præpoſiti erant: igitur impune poterant extra clauſtra vagari, & Curias Principum adire. Secunda difficultas naſcitur ex eo, nam aut hæc Innocentii deciſio referenda eſt ad jus antiquum, aut ad ſæcula ipſius Innocentii: ſi ad jus antiquum referatur, conſtat eo attento, omnia monaſteria, univerſaſque Baſilicas lege diœceſana parere Epiſcopis propriis, *c. omnes* 16. *q.* 1. *c. monaſteria* 18. *q.* 2. unde monachi e monaſterio exire ſine litteris dimiſſoriis Epiſcopi non poterant, & ad ejus libitum de uno monaſterio in alium transferebantur. Synodus Conſtantinop. 1. *can.* 4. Trullen. *can.* 40. Concil. Mogunt. *can.* 12. ubi jubetur, ne Abbates, ſeu monachi ad placita ſæcularia exeant ſine litteris dimiſſoriis Epiſcopi. Si ad jus novum Innocentii conſtitutio referatur, conſtat Innocentii ævo jam monaſteria exempta fuiſſe ab Epiſcoporum juriſdictione, *cap. licet*, *c. grave*, *hoc tit.* ubi late probabimus. Fileſacus *in præſenti*: igitur ſi ad jus antiquum præſens conſtitutio referatur, ſupervacuo deſideratur Prælati regularis negligentia in revocandis monachis vagabundis; ſiquidem e monaſterio exire, aut placita ſæcularia adire inſcio Epiſcopo non poterant. Si ad jus novum referatur, apparet nec data negligentia ex parte Prælati regularis Epiſcopum eſſe judicem ordinarium, cum ab ejus juriſdictione jam monachi exempti eſſent: igitur nullo modo ſuſtineri poteſt præſens Innocentii deciſio.

8 De monachorum clauſura.

His tamen dubitandi rationibus minime obſtantibus, vera eſt præſens deciſio, jurique, ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ valde congrua: ad cujus illuſtrationem ſciendum eſt, nihil turpius in regulari vita conſiderari, & dari poſſe, quam monachos per urbes, & caſtella diſcurrentes, ut ait D. Bernardus *ſerm.* 36. *inter parvos*, *pag.* 619. unde D. Hieron. *in epiſt. ad Ruſticum*, acriter reprehendit monachos crebrius in urbe, quam in cellula degentes, aitque: *Simulare inter fratres verecundiam, qui in plateis urbis colliduntur*. Et a D. Chriſoſtomo monachos circumforaneos, & per urbis plateas curſitantes graviter reprehendi ſolere teſtatur Nicephorus *l.* 3. *hiſtoriæ*, *c.* 9. & Imperatores *in l.* 1. & 2. *C. Theodoſ. de monachis*, & *l.* 29. *C. de Epiſcop. & cleric.* prohibent monachis civitates circuire, ſed deſerta loca, & vaſtas ſolitudines incolere jubentur. Divuſque Antonius ajebat, quod quemadmodum piſces terræ tactu, & ſiccitate tabeſcunt, ſic etiam monachorum gloriam ad urbes accedendo fœdari. Sozomenus *l.* 1. *c.* 3. & ab eo accipiens Eugenius Papa *in c. placuit* 8. 16. *q.* 1. ait, quod ſicut piſcis ſine aqua caret vita, ita ſine monaſterio monachus: quare omni ævo PP. Eccleſiæ apprime interdixerunt monachis clauſtra deſerere, & civitates circuire. Concilio enim Turon. 2. *can.* 16. cavetur: *Si qui in monaſterio converſi ſunt, aut converti voluerint, nullatenus exinde habeant licentiam evagandi*. Et in Conc. Tarrac. tempore Hormiſdæ *can.* 12. legitur: *Monachi monaſterio foras egredientes, ne aliquod miniſterium Eccleſiaſticum præſumant agere, prohibemus, niſi forte cum Abbatis imperio*. Synodo Romana ſub Leone IV. ſtatuitur, ne monachi a monaſteriorum clauſuris abſque Abbatis, vel qui ab eo eſt conſtitutus, licentia ad quodlibet opus exercendum egredi præſumat. In Synodo etiam Trullana *can.* 46. poſtquam prohibetur ſanctimonialibus ex monaſterio exire, de monachis ita cavetur: *Sed & viris, qui vitam monaſticam proſequuntur, urgente neceſſitate, & ipſi cum benedictione ejus, cui regimen creditum eſt, procedant*. Nec etiam prætextu peregrinationis monachis exitus e monaſterio permittitur. Synodus Vern. in Palatio Verny celebrata regnante Pipino, *c.* 10. „ Ut monachi, qui veraciter regulariter vivunt, ad R. Sedem, vel alicubi vagari non permittantur, niſi Abbatis ſui obedientiam exerceant, vel etiam gratia adeundi placita ſæcularia. “ Conc. Mogunt. 1. ſub Carolo Magno, *can.* 12. Rhemenſe ſub eodem Principe, an. 813. *c.* 25. „ Ut monachi, & canonici pleniter conſilium habeant, qualiter Deo militare, animaſque eorum melius valeant cuſtodire, ne propter aliquam neceſſitatem occaſionem quærant vagandi. “ Conc. Aquiſgr. *can.* 134. Troslejan. *can.* 3. Trid. *ſeſſ.* 25. *de regul. c.* 4. plura Renatus Chophinus *d. tit.* 2. *monaſt. n.* 6. Gibalinus *d. diſq.* 8. *c.* 2. unde intelligendus eſt textus *in c. juxta*, 16. *q.* 1. ubi ſtatuit Alex. II. ut juxta Chalced. Concilii tenorem monachis juxta S. Benedicti normam viventibus, exitus e monaſterio non permittatur. Conc. autem Calced. *can.* 4. jubetur, monachos propria monaſteria relinquentes, graviter eſſe puniendos, niſi fuerit de Epiſcopi civitatis licentia: in quo textu difficile eſt, quod tantum monachis Benedictinis prohibeatur egreſſus e monaſterio, cum Concilium Chalced. celebratum fuiſſet anno 451. natus vero D. Benedictus fuit anno 480. Unde nullo modo temporibus Concilii Chalced. monachi aliqui degebant ſub regula S. Benedicti. Sed Alexander II. ita accipiendus eſt, ut PP. Conc. Chalced. nullo modo loquerentur de monachis Benedictinis, qui adhuc inſtituti non erant, ſed ita juxta Conc. Chalc. clauſura omnibus monachis injungatur, ad ſimilitudinem eorum, qui ſub regula D. Benedicti degunt, ideſt, quod ſicut prædicationis cauſa monachis D. Benedicti permittitur egreſſus extra clauſtra; ita & aliis permittatur. Docet Gibalinus *d. diſq.* 2. *c.* 2. §. 3.

9 Traditur ratio decidendi.

Sed cum neglectis tot Eccleſiæ legibus adhuc monachi prætextu ſuarum obedientiarum, ſeu adminiſtrationum Curias Principum facile adirent, inflicta fuit excommunicatio in hujuſmodi monachos vagabundos, *Clem.* 1. §. *quia vero*, *de ſtatu monachor.* cujus interpretationem latius proſequuntur Suarez, Sayrus & Gibalinus *ubi ſupra*: & ſi Abbates, ſeu Prælati regulares negligentes eſſent in revocandis monachis ad monaſterium, ſtatuit Innocentius III. ut ipſius Prælati negligentiam ſuppleat Epiſcopus, quia ut vitetur peccatum negligente dilinquentis judice, immediatus ordinarius judex debet ejus negligentiam ſupplere, *c. ſignificavit*, *hoc tit.* & licet monachi exempti ſint ab Ordinariorum poteſtate; ſunt tamen caſus, in quibus poſſunt Epiſcopi punire ipſos, ut docet Barboſa *de poteſt. Epiſcop. alleg.* 106. inter quos præcipue recenſetur negligentia Prælati proprii. Unde recte ſtatuit Innocentius, negligentibus Prælatis regularibus, Epiſcopum, vel Archiepiſcopum poſſe revocare, & retrahere monachos vagabundos.

10 Reſpondetur difficultatibus.

Nec obſtant difficultates ſupra adductæ: non prima deducta *ex can.* 57. *Concilii Meldenſis*; nam licet verum ſit, monachos ratione adminiſtrationis ſibi commiſſæ poſſe Curias Principum adire ex licentia ſui Superioris, *c. cum deputari*, *de judiciis*; in præſentis tamen textus ſpecie licet obedientias, ſeu miniſtrationes haberent, non tamen earum ratione, aut accedente ſuperioris licentia Curias Principum adibant, imo fructus, & proventus monaſterii diſſipabant, & illis abutentes in improbos uſus conſumebant, ut ex hujus textus ſerie facile conſtat. Nec ſecunda difficultas refragatur; nam omiſſa quæſtione, a quo tempore monachorum exemptio in Eccleſia cœpiſſet, quam proſequitur Fileſacus *in præſenti*, & nos diſputabimus *in c. licet*, *hoc tit.* conſtat præſentem Innocentii deciſionem referendam eſſe ad tempus, in quo prædicta exemptio jam in uſu erat; ſed ea non obſtante propter negligentiam Prælati Epiſcopus monachos vagabundos corrigere, ac retrahere valet, ſicut & in aliis caſibus adverſus eos procedere poteſt, quos congerit Cochier *integro tract. de juriſd. in exemptos*.

11 Exponitur textus in c. quidam 16. q. 1.

Sed adhuc ſuperiori aſſertioni primo opponitur textus *in c. quidam monachi*, 16. *q.* 1. ubi refertur, quoſdam monachos abſque Abbatis licentia, & Epiſcopi ad Regiam civitatem Conſtantinopolitanam acceſſiſſe, varioſque ſeminaſſe errores, ac perturbationes induxiſſe: quæſtionis fuit, quomodo, & per quos eſſent revocandi ad clauſtra monaſterii? Et reſpondent P. Concilii Chalc. quod per proprium Abbatem ſunt retrahendi, & eo negligente, per defenſorem civitatis ad propria clauſtra eſſe revocandos. Ex quo textu expreſſe colligitur, negligentiam proprii Prælati non per Epiſcopum, aut Archiepiſcopum, ſed per defenſorem civitatis eſſe ſupplendam. Cui difficultati ſatisfaciendum eſt aſſerendo, textum *in dict. cap. quidam*, accipiendum eſſe de defenſore civitatis, qui præbendo auxilium Epiſcopo monachum poterat ad clauſtrum revocare, ut docet Salgado *de Regia proteċt.* 1. *p. c.* 1. *n.* 112. in eo enim textu monachi vagi excommunicati jam erant ab Epiſcopo: unde cum alia remedia non ſuppeterent, per defenſorem civitatis, implorato ejus auxilio compeſcendi erant, & retrahendi: quo modo etiam accipitur textus legum Longob. *lib.* 3. *tit.* 8. ubi aſſeritur, quod ſi regulares non ſecundum regularem profeſſionem degant, & emendari nequiverint a ſuis Prælatis, Principi nuntietur, non ex eo quia judex ſæcularis poſſet ſupplere negligentiam Abbatis, vel Epiſcopi; ſed quia ejus auxilium implorari debet, cum jam diſciplinæ Eccleſiaſticæ rigor eos non compeſcit.

12 Exponitur Conc. Vernen. can. 10.

Secundo adverſatur textus in Concilio Vernenſi, *can.* 10. ubi PP. ita ſtatuerunt: „ Ut monachi, qui veraciter regulariter vivunt, ad R. Sedem, vel alicubi vagari non permittantur, niſi obedientiam Abbatis ſui exerceant; & ſi talis cauſa evenerit, quod abſit, quod ille Abbas ſic remiſſus, vel negligens inveniatur, ut in manus laicorum ipſum monaſterium veniat, & hoc Epiſcopus emendare non potuerit, & aliqui tales monachi ibidem fuerint, qui propter Deum de ipſo monaſterio migrare veſint, propter eorum animas ſalvandas, hi per conſenſum Epiſcopi licentiam habeant, qualiter eorum animæ poſſint ſalvari. „ Ex quo expreſſe deducitur, quod etſi concurrat negligentia Abbatis, & Epiſcopi, Archiepiſcopus non poteſt eam ſupplere, & monachos vagabundos retrahere, ut in hoc textu deciditur. Pro cujus canonis expoſitione ſciendum eſt, temporibus Caroli Magni adeo monaſteria ſubjecta fuiſſe Epiſcopis, & Principibus ſæcularibus, ut non ſolum ab eis viſitarentur, verum ſi quid ab eis actum erat contra regulam, emendaretur. Conc. Mogun. *can.* 20. „ Dignum, ac neceſſarium eſt, ut miſſi per quæque loca directi ſimul cum Epiſcopis uniuſcujuſque diœceſis perſpiciant loca monaſteriorum, canonicorum pariter, & monachorum, ſimiliter & puellarum. *Et* li. 4. Capit. c. 78. & lib. 1. c. 122. Ut miſſi per ſingulas civitates, & monaſteria virorum, & puellarum, quomodo, & qualiter in domibus Eccleſiarum, & ornamentis Eccleſiæ emendatæ, & reſtauratæ eſſe videntur, & diligenter inquirant de converſatione ſingulorum. „ Late probat Fileſacus *in præſenti*, §. 4. unde *in d. can.* 10. *Concilii Vern.* ideo non puniuntur monachi vagabundi, quia ipſius monaſterii viſitatio ad Epiſcopum, & Principem ſpectabat; & ſi monaſterium occupatum erat a laicis, & monachi ut ſaluti animarum ſuarum conſulerent, voluiſſent e monaſterio diſcedere cum litteris dimiſſoriis proprii Epiſcopi, hoc facere poterant, quia monachi ſubjecti erant Epiſcopo, ut jam probavi.

13 Exponitur canon. 15. Conc. Altiſſiod.

Tertio opponi poteſt canon 13. Concilii Altiſſiodor. in illis verbis: „ Si monachus in monaſterio adulterium commiſerit, aut peculia habere præſumpſerit, aut furtum fecerit, & hoc Abbas per ſe non emendaverit, aut Epiſcopo, aut Archidiacono non intimaverit, ad pœnitentiam agendam in alio monaſterio retrudatur. „ Ex quibus deducitur, negligentiam Abbatis non ſuppleri ab Epiſcopo, vel Archiepiſcopo, ſed tantum ipſum Abbatem ob omiſſam vindictam in monachum, detrudendum eſſe in monaſterium. Cujus canonis ſolutio facilis eſt, ſi animadvertamus, in eo Patres tantum agere de puniendo Abbate negligente in regulari diſciplina; non tamen negare Patres, Epiſcopum poſſe ſupplere ipſius Abbatis negligentiam, monachum adulterii reum puniendo, ut in hoc textu docetur.

14 Exponitur canon. 57. Conc. Meldenſ.

Ex his deducitur vera interpretatio ad difficile Concilii Meldenſis decretum relatum canone 57. his verbis: Ut monachi, quibus monaſteriorum cura commiſſa non eſt, paſſim, & ſine auctoritate Palatium non adeant, nec in eo immorentur, vel ubi, & ubi diſcurrere ac pervagari præſumant; ſed ſi tales quilibet fuerint, ut utiles, & neceſſarii Eccleſiæ ac Principi reperiantur, cum auctoritate Epiſcopi canonice, ac religioſe pergant. Sin autem in monaſteriis ſuis, ſicut canonica, & regularis docet inſtitutio, religioſe reſideant: quos etiam nec Epiſcopus, nec Abbas, vel quilibet alius veredariorum more in miſſaticis inſtanter tranſmittat; quia per quoſdam illorum contra canonicam auctoritatem, & Eccleſiaſtica, & civilia perturbantur negotia: nec ſub prætextu obedientiæ diutius villicationibus inſerviant, ſed regulariter obedientiam in viciſſitudine ſua peragentes, ſecum, ut de S. Benedicto legitur, in monaſterio habitent, atque ſeipſos recolligant. Hæc autem tranſgredientes, ſive Prælati in favendo, ſive ſubditi in obtinendo, excommunicentur. „ Ex quibus aperte deducitur, non Abbatis, ſeu Prælati regularis licentiam, ſed Epiſcopi deſiderari, ut monachi a clauſtro diſcedentes adire poſſint Curiam Principis: igitur quia nulla data negligentia proprii Prælati poteſt Epiſcopus retrahere, ſeu revocare monachum vagabundum. Cui difficultati reſpondendum eſt, PP. Concilii Meldenſis exaudiendos eſſe eo tempore, quo monachi adhuc erant ſub juriſdictione Epiſcopi proprii, videlicet loci ubi monaſterium ſitum erat. Licet enim temporibus Concilii Meldenſis in aliis provinciis monachi exempti eſſent a lege diœceſana; tamen in Gallia hæc ſubjectio diutius permanſit, adeo ut Epiſcopi omnia in monaſteriis pro arbitrio diſponerent. Concil. Mogunt. *d. can.* 12. Concil. Ticinenſe *can.* 14. Synodus Auguſtana celebrata anno 952. *can.* 6. „ Oportet etiam Epiſcopum, in cujus diœceſi cœnobium ſitum eſt, monachorum providentiam gerere, & ſi aliquid correctione dignum repererit, corrigere feſtinet. „ Unde cum prædictum Concilium Meldenſe celebratum eſſet anno 825. ut probavi *in c.* 1. *de conſtit.* quo tempore adhuc monachi ſubjecti erant Epiſcopo; recte docetur a Patribus abſque Epiſcopi licentia non licere monachis Principum Palatia, & Curias adire. Sed antequam hinc abeamus; exponenda ſunt verba illa: *Veredariorum more in miſſaticis inſtanter tranſmittat*. Quibus ſtatuitur, non permitti Epiſcopis, & Abbatibus monachos veredariorum more tranſmittere. Pro quorum interpretatione ſciendum eſt, veredarios appellari nuntios, qui aut pedibus, aut equis huc atque illuc diſcurrunt, *l.* 50. *C. Theod. de curſu publico*, ubi I. Gothofredus; qui primo dividuntur in veredarios publicos, & privatos. Privati ſunt, qui in negotiis privatis ad quæſtum proprium vias commeant, litteraſque ex mandato privatorum celeriter deferunt, quos vulgo dicimus *Correos*, *o poſtas de las veinte*: publici ſunt, qui non niſi epiſtolas Regias ad publica negotia deferunt. De his agitur *in l.* 17. & 50. *Cod. Theod. de curſu publico*; & probant Julius Firmicus, & Mateſ. *l.* 3. *c.* 13. *At Regum nuntios, veredarioſque reddent*. Priſcus auctor in hiſtoria Servarii Epiſcopi Tungrorum: „ Illico ergo procedunt univerſali Principum decreto veredarii veloces. *D. Hier.* in lib. Eſther, c. 8. Egreſſi ſunt veredarii celeres nuntios perferentes. „ Secundo dividuntur in veredarios pedites, & equites; alii enim curſum publicum pedibus peragebant, alii vero equis: eorum meminerunt Symmachus *li.* 7. *ep.* 14. „ Cum veredarii deeſſet occaſio, privato homini reddenda ſcripta commiſi. *Caſſiod.* lib. 6. epiſt. 6. Veredariorum quin etiam opportunam velocitatem. „ Quorum ſtatus ſemper in curſu eſt. Hiſtoria tripart. *li.* 5. *c.* 49. *Miſſus eſt veredarius, qui hæc velociter adimpleret*. Plura de ipſis Bulengerus *lib.* 4. *de Imperio*, *c.* 22. Gutherus *lib.* 2. *de officiis domus*, *c.* 14. Savarus *ad Sidonium li.* 5. *epiſt.* 7. *verbo Veredarii*, Jurétus *ad Symmachum li.* 7. *epiſt.* 14. D. Joann. de Larrea *alleg.* 50. *n.* 18. Quibus ſuppoſitis pro veredariorum cognitione, ſequitur ut cognoſcamus, quid miſſatici appellatione veniat. Et ſciendum eſt, miſſaticum apud Gallos appellari locum, tractumque, cui præeſt miſſus a Principe. Conſtitutio Caroli Calvi *tit.* 22. apud Silvacum: „ Ut unuſquiſque miſſus in ſuo miſſatico proviſionem habeat, ut ſi aliquis de noſtris fidelibus per miſſaticum ſuum tranſierit, aut ibi conſiſtens, aut commanens rapinas fecerit. *Et capite ſequenti*. Ut miſſi in illorum miſſaticis curam habeant, ne homines noſtri vicinos minores, aut majores deprædentur. *Et* lib. 3. Capitul. tit. 17. Unuſquiſque ſuo miſſatico maximam habeat curam ad providendum, & ordinandum, ac diſponendum ſecundum voluntatem Dei. *Et* Capit. 80. Ut miſſi noſtri diligenter inquirant, & deſcribere faciant unuſquiſque in ſuo miſſatico, quid unuſquiſque de beneficio habeat, vel quot homines cautos. *Plura de his Lindembrogius* in Gloſſario legum antiquarum, verbo Miſſatici. *Voſſius* de vitiis ſermon. eod. verbo. „ Quibus ſuppoſitis ſenſus prædicti canonis eſt, ne Abbas, aut Epiſcopus, qui poſſunt monachis facultatem concedere adeundi palatia, & Curiam Principum, ipſos ut veredarios mittant ad miſſos Dominicos exiſtentes in miſſaticis; cum non deceat monachos veredariorum officium. Tandem ſtatuunt PP. in eo canone, ne ſub prætextu obedientiæ villicationibus diutius inſerviant, ſed regulariter obedientiam in viciſſitudine ſua peragant. Quibus verbis prohibetur, ne rurali operi, aut adminiſtrationi monachi operam dantes divagentur extra monaſterium prætextu obedientiæ, ſed potius in monaſteriis degant, juxta SS. PP. inſtituta, & D. Benedicti regulam.

Ruſus ex ſupra traditis exponendus eſt textus *in l. qui in monaſteriis* 29. *C. de Epiſc. & cleric.* ubi Imperatores Leo, & Anthemius prohibent monachis, ne exeant e monaſterio animo divagandi in urbe Antiochena, & ſimilibus, niſi apocriſiarii ſint, & apocriſeon cauſa exire cogantur. Quod Imperatorum reſponſum mire convenit cum ſupra traditis. Tantum in ea parte difficultatem continet, quatenus apocriſeon cauſa permittit monachis Curias Principum adire. Cui difficultati reſpondendum eſt, omiſſis variis apocriſiarii acceptionibus, quas retuli *in c.* 4. *de elect.* & congeſſit P. Marcha *lib.* 5. *concord. c.* 16. aſſerendo, apocriſiarios plerumque appellari eos, qui negotia ſui cœnobii, aut Eccleſiæ curant. Juſtinianus *novell.* 6. *Apocriſiarii vocantur, qui ſanctiſſimarum Eccleſiarum negotia curant*. Hincmarus *epiſt.* 3. *c.* 13. probant variis teſtimoniis Roſveidus *in Onomaſt. verbo Apocriſiarius*, Turturetus *in Sacello*, *c.* 3. Unde cum in eo textu monachi apocriſiarii accipiantur pro his, qui negotia monaſterii curabant, ideo illis permittitur extra clauſtra degere, & Curias Principum adire. Docent Gibalinus *clauſura regul. diſq.* 2. *cap.* 1. §. 1. 15 Exponitur l. qui in monaſteriis.

CAPUT VIII.

a *Rhotomag. Archiep.* & b *Suffraganeis ejus.*

Ad reprimendam malitiam perverſorum *c* pœnæ certæ ſunt in canonibus conſtitutæ, quas ſicut latas a vobis interdum in ſubditos vultis inviolabiles obſervari, ita latas *d* ab aliis debetis inviolabiles obſervare. Inde eſt, quod univ. v. per A. ſ. m. quat. *e* ſententias, quas ven. f. n. *f* Lexovien. Epiſcopus duxerit in ſubditos ſuos canonice promulgandas, & vos ipſi ſervetis, & a veſtris ſubditis faciatis inviolabiliter obſervari. Tu vero, frater, cum

BIBLIOTECA CENTRAL

excommunicationis ſententia per g appellationis non ſuſpendatur objectum, ſi quis excommunicatus ab ipſo de injuſta tibi fuerit excommunicatione conqueſtus, ad ipſum ei quaſi Coepiſcopo deferens, abſolvendum ſecundum Eccleſiæ formam remittas. Quod ſi forte noluerit illum abſolvere, tu recepta juratoria cautione, abſolutionis ei munus poteris exhibere; ita tamen, quod niſi tibi legitime conſtiterit, eum contra juſtitiam excommunicatum fuiſſe, ex debito ſibi juramento præcipias, ut ſuper eo, de quo fuerit excommunicatione notatus, eidem Epiſcopo ſatisfaciat competenter. Quod ſi facere forte contempſerit, eum in excommunicationis ſententiam ap. rem reducere non omittas. Datum, &c. Cal. Junii.

NOTÆ.

1 a R *Rothomag.*) Ita legitur in tertia collectione. *cap.* 2. & in ipſis epiſtolis Innocentii correctis a Sirleto, *p.* 103. De hac Eccleſia Rhotomag. aliqua adduxi *in c. cum contingat, de reſcriptis.*

2 b *Suffraganeis.*) Bajocenſi videlicet, Lexovienſi, Ebroicenſi, Abrienenſi, Sagienſi, Couſtantienſi Epiſcopis, qui parent Metropolitano Rhotomagenſi, ut referunt Carolus a S. Paulo *in Geograph. ſacra*, Barboſa *in notit. Epiſcop.*

3 c *Pœnæ certæ ſunt in canonibus conſtitutæ.*) Quas longum foret recenſere. Eas cumularunt Plaza, D. Joann. Vela, Farinacius, Guttierez in ſuis tractatibus de delictis, & eorum pœnis. Pichardus *in manuduct. ad praxim*, 3. *p. ex littera A.* In ſacris enim canonibus pro varietate, & gravitate delictorum variæ fuerunt tam in foro externo, quam interno ſtatutæ pœnæ. Aut degradatio videlicet, aut ſuſpenſio, aut depoſitio imponitur, ut conſtat ex quampluribus canonibus congeſtis ab Antonio Auguſt. *in epit. juris Pontif. ex lib.* 34. *uſque ad* 40. Quoad pœnam vero pro delictis commiſſis imponendam, quam Patres Concil. Tridentin. ſatisfactionem appellant in Sacramento pœnitentiæ, olim in arbitrio erat Epiſcopi, ad quem ſpecialiter ſpectabat penitentiam imponere penitentibus in Eccleſiam convenientibus, peccataque ſua ſpecialiter detegentibus. Conc. Ancyr. *can.* 5. Aurel. 4. *can.* 8. Carth. Synodus *can.* 46. ubi Balſamon notavit. Sed cum creſcente fidelium peccantium numero Epiſcopus non ſufficeret pœnitentiis imponendis, reſervata Epiſcopis penitentia ſolemnis impoſitione, facultas imponendi pœnitentiam privatam Presbyteris data fuit, qui ex eo pœnitentiarii dicti fuerunt; & in ſingulis Eccleſiis creatus fuit unus ſacerdos ad illud miniſterium. Socrates *lib.* 5. *hiſtoriæ*, *c.* 19. late probant Fileſacus *in c. inter*, 15. §. 4. *hoc tit.* Anton. Aug. *in præfat. ad pœnitentialia*. Iſti Presbyteri penitentias imponebant pro arbitrio ſuo, *c. Deus qui*, 8. *diſt. c. quæſitum* 7. *de pœnit. & remiſſ. c. tempora* 2, 26. *q.* 7. Synodus Metenſis celebrata anno 854. *cap.* 10. Poſtea tamen ex diverſis Eccleſiæ canonibus collecti fuerunt canones, quos poſteri appellarunt penitentiales, & ipſam collectionem penitentialia dixerunt, de quibus pro diſtinctione Eccleſiæ Orientalis, & Occidentalis, eorum auctores, & formam referentes, plura adducunt Anton. Aug. *in præfat. ad pœnit.* Fileſacus *in d. c.* 15. §. 1. Angujanus *lib.* 2. *de legibus*, *c.* 3. Sauſay *in Panopl. ſacerdot. p.* 1. *lib.* 7. §. 25. Hodie tamen omnes penitentias arbitrarias eſſe probat Barboſa *in d. c. quæſitum*, & *in c. tempora*, *n.* 7.

4 d *Ab aliis.*) Epiſcopis videlicet, vel judicibus æqualis auctoritatis; vox enim *aliis*, eſt repetitiva ſimilium, ut probant textus *in authent. ſi fugitivi, C. de ſervis fugit. authent. ex teſtam. C. de collat.* ubi omnes repetentes notant illa verba, *aliorum datorum*, eſſe referenda ad donationes ob cauſam, de quibus in principio egerat Imperator.

e *Sententias quas.*) Ex his verbis, & illis quæ ſequuntur, *Excommunicationis ſententia*, probatur, excommunicationem ſententiam eſſe, quod late illuſtrat Gibal. *de cenſuris diſq.* 1. *q.* 4.

f *N. Lexov.*) Videlicet Joannes de Humeto, Præſul Lexovienſis. De ea Eccleſia agemus *in c.* 2. *de donat. int.*

5 g *Per appellationis.*) Appellatio enim a ſententia excommunicationis interpoſita tantum operatur effectum devolutivum, non vero ſuſpenſivum, *c. paſtoralis*, §. 1. ubi latius trademus, *de appell.* Interim videndi ſunt Cujacius *c. cum inter, de exceptionibus*, Guttierrez *l.* 1. *canonic. c.* 1. Suar. *de cenſur. diſp.* 13. *ſect.* 2. Amaya *l.* 2. *obſ. c.* 15. Mancinus *Genialium c.* 45. Salgado *de proteſt. Regia*, 2. *p. c.* 8. Giballinus *de cenſuris, diſquiſit.* 6. *q.* 3.

Ut propriam hujus textus concluſionem deducamus, primo ſupponendus eſt ejus verus, & genuinus ſenſus. Illa enim verba, *ab aliis recipiantur ad communionem*, duplicem ſenſum habere poſſunt. Primus eſt, ut a propriis Epiſcopis excommunicati ab aliis evitentur; quaſi ſtatuat Innocentius, ut in una diœceſi excommunicatus, ubique terrarum pro excommunicato habeatur, & tamquam a communione pulſus, ab omnibus fidelibus evitetur. Olim enim Epiſcopi nomina eorum, quos communione privabant, non tantum vicinis Epiſcopis nuntiabant, verum & longe diſtantibus, ut ab illis vitarentur, ſi forſan illuc accederent, ut probat D. Aug. *l.* 3. *contra litt. Petil. c.* 3. in illis verbis: „ Cujus ſcilicet Splidonis in Gallia „ damnationem ad nos a fratribus noſtris miſſam collega noſter apud Conſtantinum publice legendam propoſuit. “ Hac ipſa ex cauſa decreto Conc. Arvernenſi, referente Ivone Carnot. *ep.* 76. *ſub fin.* conſtitutum eſt, ut excommunicatus ab uno Epiſcopo, a vicinis item Epiſcopis excommunicetur. Idem *ep.* 179. *in fin.* poſt interpellatam Adelam Comitiſſam pro Eccleſiæ quiete & indemnitate, ſubdit: „ Quod ſi hæc omnia contempſeritis, ſciatis quia Eccleſias corde contrito, „ & humiliato, aſcitis ſibi omnibus Eccleſiis ſubjectis, quotidie ante corpus & ſanguinem Domini, & Sanctorum patrocinia clamorem faciet (*id eſt excommunicationem proferet*) „ adverſus omnes hujus mali patratores, & conſentaneos; & „ ad hoc ipſam ex debito omnes vicinos Epiſcopos cum Eccleſiis ſibi ſubjectis invitabit. “ Etiam in jure cautum legimus, ut charta anathematis pro foribus Eccleſiæ, tamquam programma appendatur, *c. cum* 11. *q.* 3. *c. ad Parochianos, de ſent. excom. extravag. ad certitudinem, eod. tit.* Illuſtrat Ricciulus *l.* 4. *de jure perſon. c.* 62. & apud Græcos anathemata publice in columna proponi, ex Socrate probat Theophilus *t.* 14. *de litteris monit. c.* 7.

Alter ſenſus eorum verborum, *ad communionem non recipiantur*, eſſe poteſt, id eſt abſolvantur; quaſi ab Innocentio ſtatuatur, ut excommunicatus ab uno Epiſcopo, non abſolvatur ab alio, niſi ab eo, a quo excommunicatur: qui proprius, genuinuſque ſenſus eſt hujus textus, ſi conferatur cum verbis ſequentibus, ubi de abſolutione agitur; & cum canone 31. Apoſt. & *c. ſentent.* 11. *q.* 3. ubi eiſdem verbis utuntur Patres, ut ſtatuant, abſolutionem excommunicationis ab eo eſſe præſtandam, a quo prolata fuit ſententia. 6

COMMENTARIUM.

7 Concluſio deducitur & probatur.

JUxta quem verum ſenſum deducitur hæc aſſertio: *Ab uno Epiſcopo excommunicatus, ab aliis eſt vitandus, & Archiepiſcopus per querelam aditus non abſolvit, niſi primo remittat.* Probant textus *in c. ſi quis a proprio* 11. *q.* 1. *c. ex frequentibus, de inſt. c. per tuas, de ſent. excomm.* Concil. Sardic. *can.* 13. alias 16. „ Oſius „ Epiſcopus Cordubenſis dixit: Hoc quoque placeat, ut ſive „ Diaconus, ſive Presbyter a proprio Epiſcopo fuerit communione privatus, & ad alterum perrexerit Epiſcopum, & „ ſcierit ille, ad quem confugit, eum ab Epiſcopo fuiſſe ex„ communicatum, non oportet ut ei communionem indulgeat. „ *Lateran. ſub Calixto II. can.* 9. A ſuis Epiſcopis excommunicatos, ab aliis Epiſcopis, Abbatibus, & clericis in communionem recipi proculdubio prohibemus. *Synodus Antiochena* „ *can.* 6. Ut qui excommunicatus a proprio Epiſcopo, ab eodem „ ſolvatur. *Canon.* 53. *Concil. Illib.* Placuit cunctis, ut ab eo Epiſcopo quis recipiat communionem, a quo abſtentus in crimine „ aliquo fuerit: quod ſi aliquis Epiſcopus præſumpſerit illum „ admittere, illo adhuc minime ſciente, vel conſentiente, a „ quo communione privatus fuerat, ſciat ſe hujuſmodi cauſas „ inter fratres eſſe cum ſtatus ſui periculo præſtiturum. “ Ubi notat Mendoza, Patres aſſerere hoc cunctis placuiſſe. Arelat. 2. circa tempora Nicæni *can.* 8. Carthag. 2. *can.* 8. Arauſic. *can.* 11. Cæſaraug. *can.* 5. Turon. 2. *can.* 8. Lugdun. 1. *can.* 3. Nicænum *can.* 5. Epaunenſe *can.* 28. Pariſienſe 3. *can.* 7. Tauritan. *can.* 7. Altiſſiod. *can.* 39. Aquiſgran. 1. *can.* 42. 51. & 72. Valentinum ſub Lothario Rege *can.* 15. Later. ſub Alexand. III. *can.* 21. Regiaticinum *can.* 11. Romanum 1. ſub Nicolao I. Lemovic. *act.* 2. *column. n.* 5. & 7. Melfitanum ſub Urbano II. *can.* 15. London. ſub Honorio III. *can.* 8. Mogunt. ſub Paulo III. *can.* 10. Siricius Pontifex *ep. ad Epiſcopos per Africam*, Innocentius I. *ep. decret.* 7. *c.* 7. Nicolaus I. *ep.* 7. 9. 46. & 98. Joannes P. VIII. *ep.* 9. & 72. *circa finem.* Illuſtrant ultra congeſtos a Barboſa in præſenti, & *de poteſt. Epiſc. alleg.* 126. *n.* 22. Fileſacus *in præſenti*, Suar. *de cenſuris, diſp.* 7. *ſect.* 2. Cæſar *de eccleſ. hierarch. diſp.* 5. §. 2. Mendoza *l.* 2. *Concilii Illiberit. l.* 3. *c.* 31. Gibalinus *de cenſuris diſquiſit.* 9. *q.* 3. *prop.* 1. Frechilla *de excom.* 4. *p. art.* 1. Morinus *l.* 2. *exercit. c.* 28.

8 Impugnatur hæc aſſertio.

Sed pro dubitandi ratione adverſus primam partem hujus concluſionis, ubi aſſeritur, excommunicatum ab ipſo judice; a quo excommunicatus fuit, non ab alio Epiſcopo, vel ſuperiore eſſe abſolvendum, ita inſurgo. Aut excommunicatio lata eſt ab homine, aut a jure: neutro caſu deſideratur abſolutio ejus, qui excommunicationis ſententiam protulit: igitur non recte aſſeritur, judicem ipſum, non alium, poſſe excommunicationem relaxare. Major patet; minor autem probatur. Nam ſi excommunicatio lata eſt ab homine, ejus ſuperior poteſt ſententiam ab eo prolatam relaxare, *c. nuper* 29. §. *in primo*, ibi: *Ab eo, vel ejus ſuperiore.* Et *c. per tuas, de ſent. excomm. c. venerabilibus*, §. *porro*, & §. *ſi vero, eod. tit. lib.* 6. Si a lege, etiam inferiores ab ea abſolvere poſſunt, *c. nuper*, §. *in ſecundo*, *c. prudentiam* 21. §. *ſexta*, *de officio deleg.* Docent Cov. *c. alma*, 1. *p.* §. 12. *n.* 4. Navarrus *in manual. c.* 27. *n.* 39. igitur neceſſario non eſt adeundus qui excommunicationem protulit. Accedit, nam ſi alii Coepiſcopi, aut judices excommunicationem ab alio latam non poſſent abſolvere, ſequeretur excommunicatum in excommunicatione perpetuo manſurum eſſe; ſiquidem qui excommunicationis ſententiam protulit, eam relaxare non poteſt, quia judex poſteaquam ſententiam protulit, functus eſt officio ſuo, *l. judex, ff. de re judicata*, *c. in litteris* 9. *de off. deleg.* igitur alius, ſive æqualis, ſive ſuperior, debet ipſum excommunicatum abſolvere. Secundo adverſus aliam aſſertionis partem, ubi docetur, excommunicatum conqueſtum coram Archiepiſcopo de injuſtitia excommunicationis, remittendum eſſe ad Epiſcopum, qui eum communione privavit, ut ab ipſo abſolvatur, inſurgit illud juris principium, quo docetur, Archiepiſcopum, coram quo excommunicatus conqueſtus eſt de injuſtitia excommunicationis, poſſe per ſe illum abſolvere, *dict. cap. per tuas, de ſenten. excom. c.* 1. §. *ſane, de cenſib. lib.* 6. *c. irrefragabili*, §. *coe-*

BIBLIOTECA CENTRAL

terum, hoc titul. igitur non recte aſſeritur, ipſum excommunicatum remittendum eſſe ad proprium Epiſcopum, ut ab eo abſolvatur. Augetur hæc difficultas ex eo, quia ſi in hujus textus ſpecie Archiepiſcopus aditus fuit per viam appellationis, ut in illis verbis, *Per appellationes non ſuſpendatur objectum*, innuitur, quod Archiepiſcopus directe poterat abſolvere excommunicatum, nam licet appellatio interpoſita in cauſa excommunicationis non operetur effectum ſuſpenſivum, ut ex hoc textu conſtat; operatur tamen effectum devolutivum, ut probant Abbas *hic*, *n.* 9. & ceteri ordinarii: igitur Archiepiſcopus per ſe ut judex competens poterat abſolvere ipſum excommunicatum.

9 De excommunicatione a jure lata.

His difficultatibus minime obſtantibus vera eſt præſens Innocentii deciſio, ad cujus expoſitionem ſciendum eſt, excommunicationem dupliciter conſiderari poſſe, videlicet vel a jure inflictam, vel ab homine prolatam. In excommunicatione a jure inflicta quilibet Epiſcopus, aut parochus proprius poteſt eam relaxare; ſi abſolutio ſuperiori reſervata non ſit, *c. nuper, de ſent. excom.* nec intereſt, an lege generali, ſpeciali, vel ſynodali excommunicatio inflicta ſit, ut docent Covar. *in c. alma*, 1. *p.* §. 12. *n.* 4. Marius Alterius *de cenſur. l.* 4. *diſp.* 3. Suarez *eod. tr. diſp.* 7. *ſect.* 5. *n.* 21. Appellatione Epiſcopi veniunt omnes habentes juriſdictionem epiſcopalem; appellatione vero parochi ſacerdotes illi, qui præpoſiti ſunt adminiſtrationi Sacramentorum, illi enim a qualibet cenſura non reſervata abſolvere poſſunt, ut docent cum D. Thoma *in* 4. *diſt.* 18. *q.* 2. *art.* 5. Major *ibi*, *dub.* 3. Gabriel *q.* 3. *art.* 3. Soto *diſt.* 22. *q.* 2. *ad ſecundum, concl.* 3. Cajetanus *verbo Abſolutio*, *n.* 4. licet contrarium teneat Covar. *ubi ſupra*, 2. *p.* §. 12. Paludanus *in* 4. *diſt.* 18. *q.* 5. *art.* 1. Sayrus *lib.* 7. *theſauri*, *c.* 19. *n. fin.* qui affirmant, noviori jure denegatam eſſe hanc facultatem abſolvendi Parochis, *ex Clement.* 1. *de privil. extravag.* 1. *eod. tit.* Sed ſi recte eas conſtitutiones perpendamus, in illis non agitur de Parochis, ſed de religioſis privilegia habentibus, ut jam notavit Gibalinus *d. diſquiſit.* 9. *pag.* 410.

10 De excommunicatione ab homine prolata.

Circa excommunicationem ab homine diſcrimen eſt conſtituendum inter excommunicationem generalem, ſeu generaliter prolatam; & particularem, in ſpecialem ſubditum pronuntiatam. A generali cenſura omnis ille poteſt abſolvere, qui ab excommunicatione a jure inflicta abſolvere valet, *c. ex frequentibus, de inſtit. c. grave, de præbendis.* Docent Covar. *ubi ſupra*, §. 12. *n.* 4. Soto *in* 4. *diſt.* 22. *q.* 3. *art.* 3. Avila *de cenſuris*, 2. *p. c.* 7. *diſp.* 2. *dub.* 8. Hurtado *de excom. diffic.* 6. Layman *in ſumma*, *l.* 1. *tr.* 5. *c.* 7. *n.* 3. plures congeſti a Gibalino *ubi ſupra*, *pag.* 411. *n.* 10. Cum enim cenſura ab homine generaliter lata habeatur pro ſtatuto, aut conſtitutione, & a cenſuris ſtatuto, aut conſtitutione generali latis abſolvat quilibet Epiſcopus, Parochuſve, ut ſupra probavi; ideo & a cenſura generaliter lata ab homine quilibet Epiſcopus, Parochuſve abſolvere valet, a ſententia vero excommunicationis ſpecialiter ab homine prolata abſolvere poteſt qui eam protulit, ejus ſucceſſor, ſuperiorve, aut judex delegatus: illis exceptis, nullus alius abſolvere poteſt, etiamſi æquali præfulgeat dignitate, *c. verbum, de pœnit. diſt.* 1. Sed licet hoc juris principium certum ſit, aliquas patitur exceptiones. Prima eſt, ſi excommunicationis inflictæ abſolutionem judex ſibi reſervavit, ut contingit in incendiario, qui ob ſceleris gravitatem excommunicatione innodatur, & ejus abſolutio R. Pontifici eſt reſervata, *c. tua nos, de ſentent. excommun.* docet Leander *de cenſur. diſp.* 17. *q.* 16. Secunda proponitur *in c. quærenti, de officio deleg.* ubi ſi delegatus proferat excommunicationis ſententiam, eamque intra annum non relaxaverit, elapſo anno ab ea abſolvere non poteſt, quia functus eſt officio ſuo, *c. in litteris* 9. *eod. tit.* ubi notavi: quoad ſuperiorem etiam procedit dicta ſententia; nam cum per appellationem ab excommunicatione interpoſitam juriſdictio ad ſuperiorem devolvatur, *c. ſi a judice, de appell. lib.* 6. ideo habet facultatem relaxandi hujuſmodi cenſuram; interim autem etiam inferior, qui excommunicationem protulit, poteſt eam relaxare, quia poteſt tollere gravamen illud, a quo fuit provocatum, *cap. cum ceſſante* 60. *de appell.* quoad ſucceſſorem etiam judicis, qui ſententiam protulit, aperta ſunt juris teſtimonia *in can.* 39. *Apoſtol. can.* 47. inter canones Arabicos, *can.* 5. inter Græcanicos, ut late probavi *in can.* 9. *de off. deleg.* igitur ſicut ipſe, qui ſententiam excommunicationis protulit, poteſt abſolvere, ita & ejus delegatus. Leand. *d. diſp.* 17. *q.* 17. & 18.

11 Traditur ratio decidendi.

Ex his manifeſte apparet, nullum alium æqualem auctoritatem habentem poſſe abſolvere ab excommunicatione ab homine ſpecialiter prolata; quod jam a temporibus Apoſtolorum cautum invenio: canone enim 31. Apoſt. ita cavetur: „ Si „ quis Presbyter, aut Diaconus ſegregatus fuerit, hunc non „ licere ab aliis recipi, ſed ab eo, qui ſegregaverat, niſi forte objerit Epiſcopus, qui illum ſegregaſſe cognoſcitur. *Qui* „ *canon citatur in Conc. Niceno* can. 5. De his, qui excommunicantur, ſive clerici, ſive laici, ab Epiſcopis per ſuas quaſque pro„ vincias ſervetur & iſta ſententia ſecundum canonem, ut „ qui ab aliis excommunicantur, ab aliis ad communionem „ non recipiantur. “ Ubi verba illa, *ſecundum canonem*; referenda ſunt ad prædictum canonem Apoſt. Acceſſerunt Concil. Illiberit. *can.* 53. Arelat. 1. *can.* 16. & alia SS. PP. decreta ſupra adducta. Cyrillus Alex. *in Ep. ad Epiſcopos Lybiæ*, ubi notavit Balſamon. Ivo Carnot. *ep.* 60. 76. & 194. ubi conqueritur de Hugone Archiep. Lugdun. eo quod ſacrilegos a ſe, ſuiſque Coepiſcopis excommunicatos communioni reſtituerat. Cujus prohibitionis ratio ex eo petenda eſt, quia ut inquit Ariſtoteles *l.* 2. *rhetor.* ægre fert unuſquiſque ſuo honore privari. Unde ad conſervandam Epiſcoporum auctoritatem, quæ vileſceret, ſi facta ab uno, ab alio infecta redderentur, recte conſtitutum eſt, ut ab uno excommunicatus, ab alio non abſolvatur; oportuit enim ordinem politiæ ſervari, qui facile confunderetur, niſi firmis & immobilibus cuncta eſſent diſtincta limitibus. Unde factum eſt, ut terminos territorii fixos, & immobiles habuerit olim vetuſtas, & venerabiles, ſacroſque appellaret, ut prodit Ovidius *l.* 2. *Faſtorum.*

—— Solito celebretur honore
Separat indicio qui Deus arva ſuo:
Termini, ſive lapis, ſive es defoſſus in agro,
Stipes ab antiquis tu quoque nomen habes.

Et Juvenalis *ſatyra* 6.

Improbus aut campum mihi ſi vicinus ademit;
Aut ſacrum effodit medio de limite ſaxum.

Alia plura congerit Briſſonius *l.* 1. *de formulis*, *p.* 48. inde etiam quia confuſis terminis totius politiæ ordo confunderetur, juriſdictionis, & territorii cauſam publicam eſſe leges voluerunt, ut probant text. *in l. publice, ff. de judiciis*, *l. filius, ff. de his qui ſunt ſui*. Quare recte Innocentius III. in præſenti decidit, ne judex juriſdictionem alienam invaderet, non poſſe ab uno excommunicatum, ab alio judice abſolvi.

Igitur ille, qui excommunicationem protulit, eam relaxare debet, niſi a ſuperiore impedimentum apponatur. Quæ concluſio ampliatur ita ut procedat etiam, ſi judex, qui excommunicationis ſententiam protulit, ſacerdos non reperiatur, quamvis contrarium tenuerint Sylveſter *in ſumma*, *verbo Abſolutio* 3. §. 1. Hoſtienſis *in ſumma*, *tit. de ſent. excom.* §. *quis poſſit abſolvere*: & *in c. a nobis, el* 2. *eod. tit.* & alii congeſti a Leandro *de cenſ. diſp.* 17. *q.* 4. moti auctoritate text. *in c. canonica*, in illis verbis: *Presbyter eſſe debet*, & *c. nuper*, ibi: *Sacerdos, de ſent. excom.* Ille enim, qui ſententiam protulit, tantum prima tonſura initiatus poteſt ita excommunicatum abſolvere, non ſolum ut compareat in judicio, communicetque cum aliis fidelibus, verum ut fruatur Eccleſiæ ſuffragiis. Defendunt Covar. Navarrus, Suarez, Hurtado, & alii congeſti a Leandro *d. q.* 4. cum enim hæc abſolutio non ſit ſacramentalis, non eſt ratio, cur affirmemus eſſe neceſſarium gradum Presbyteratus in judice abſolvente, ſed tantum juriſdictionem deſiderari, ut probat text. *in c. tranſmiſſa, de elect.* Nec contrarium probat text. *in d. c. ſi canonica*; ideo enim in eo deſideratur ordo ſacerdotalis, quia agitur de peccato R. Pontifici reſervato, cujus ratione excommunicatio incurſa erat, a culpa autem niſi presbyter abſolvere non poteſt. Ita docent Covar. & Hurtad. *ubi ſupra*. Nec textus *in d. c. nuper*, in quo non agitur de excommunicatione ab homine inflicta, ſed de cenſura a jure ſtatuta. Amplius, quia in eo textu tantum affirmatur, parochum poſſe ab ea excommunicatione abſolvere; unde etſi accipiatur textus de excommunicatione ab homine lata, non negat Pontifex alium etiam non ſacerdotem ab ea abſolvere non valere. 12 Ampliatur præſens aſſertio.

Nec ſupra adductæ difficultates adverſantur. Non prima, cui facile ex ſupra traditis reſpondetur aſſerendo, verum eſſe ſuperiorem ejus, qui ſententiam protulit, poſſe ab ea abſolvere, ex ratione ſupra adducta; textum vero *in d. c. nuper*, cum aliis, procedere in excommunicatione a jure inflicta, ab ea enim omnes abſolvere poſſunt, ut ſupra probavi. Nec argumentum hujus difficultatis, deductum *ex d. l. judex* 55. *ff. de re judicata*, refragatur: pro cujus vera interpretatione repetenda ſunt quæ adduxi *in c. in literis, de off. delegati*. Difficilior eſt ſecunda dubitandi ratio propter jurium expreſſam antinomiam, ſed pro ea ſedanda, omiſſis ſolutionibus traditis a Gloſſa *in præſenti, verbo Conqueſtus*, Abbate *n.* 3. & *in c. ab excommunicato*, *n.* 12 *de reſcriptis*, Innocentio *hic*, *n.* 4. Franco *in d. c. venerabilibus*, §. *ſane*, *n.* 3. Barboſa *in præſenti*, & *alleg.* 126. *n.* 21. Frechilla *ubi ſupra*, *n.* 3. aliqui caſus diſtinguendi ſunt. Primus eſt cum ſubditus ſuffraganei conqueritur coram Metropolitano de injuſtitia excommunicationis; quia videlicet Epiſcopus ex officio, & non ad partis petitionem ipſum excommunicavit; tunc enim Archiepiſcopus, ſive per appellationem, ſive per querelam aditus, poteſt ipſum abſolvere, *d. c. venerabilibus*, *in principio*, *verſ. Attamen.* Ratio hujus principii eſt, quia in cauſis ſuffraganeorum, qualis eſt hæc, *c. ſacro, de ſent. excomm.* Archiepiſcopus competens judex eſt, ſive per appellationem, ſive per ſimplicem querelam adeatur, *c. per ſingulas* 9. *q.* 3. quo caſu procedere præſentem textum in illis verbis, *Eidem Epiſcopo ſatisfaciat*; docet Cæſar *de Eccleſ. Hierarch. d. diſp.* 5. §. 2. *n.* 24. Secundus caſus conſideratur, cum cauſa, ob quam inflicta fuit excommunicatio, vertitur inter ſubditos ſuffraganeorum, & a ſententiæ injuſtitia appellatum eſt ad Archiepiſcopum; tunc enim licet quoad effectum ſuſpenſivum appellatio nihil operetur, quoad devolutivum tamen effectum ſortitur: unde Metropolitanus ſit competens, & de injuſtitia excommunicationis cognoſcere valet. *c. duo ſimul*, *c. paſtoralis, hoc tit. d. c. venerabilibus*, *in principio*. Et ſi excommunicatio, a qua appellatum fuit, juxta acta proceſſus recta videtur, non poteſt abſolvere: ſed debet excommunicatum abſolvendum remittere ad proprium judicem primæ inſtantiæ, *d. c. ſacro*, ibi: *Ad excommunicatorem remittat*; *c. per tuas, de ſent. excomm. c. venerabilibus*, §. *ſane*: ad quem caſum refert præſentem deciſionem Frechilla *ubi ſupra*, *n.* 4. Ratio eſt, quia ſi dum conſtat de ſententiæ juſtitia, Archiepiſcopus abſolveret, injuria afficeretur judex ſuffraganeus, *c. ſervetur*, 11. *q.* 3. Debet ergo excommunicatus remitti ut abſolvatur, atque ut Archiepiſcopus poſſit de cauſa cognoſcere; antea enim in ea procedere non valet, *c. cum contingat*, *verſ. Antequam*, *de off. deleg. d. c. per tuas*, niſi in duobus caſibus. Primo, ſi periculum eſt in mora, ſecundo ſi malitioſe Epiſcopus ſuffraganeus denegat abſolutionis beneficium, 13 Diſſolvuntur difficultates.

d. c. per tuas, d. c. ſacro, §. ſane. Tertius caſus eſt, cum apud Metropolitanum notorie conſtat de injuſtitia excommunicationis; tunc enim ipſe poteſt abſolvere, d. c. venerabilibus, §. ſane, verſ. Si vero, c. 1. verſ. Notoria, de cenſib. l. 6. ſed ſi dubitetur, an juſta, vel injuſta ſit excommunicatio a ſuffraganeo lata, tunc ſecundum juris ſcrupuloſitatem poteſt Metropolitanus illorum abſolvere, d. c. per tuas, verſ. quod ſi, d. c. venerabilibus, verſ. Quod ſi dubitetur: ſed ſecundum humanitatem, & debitum honeſtatis Archiepiſcopus debet remittere ipſum abſolvendum excommunicatori, d. c. per tuas, ex ratione textus in c. quibus Epiſcopi, 11. q. 3. Docent Cæſar de eccleſ. hierarch. ubi ſup. n. 28. Vivianus in præſenti.

14 Exponitur Conc. Tol. 12, can. 3. Supra traditis adverſatur difficilis can. 3. Conc. Tolet. 12. in illis verbis: „ Vidimus nonnullos, & flevimus, ex numero „ culpatorum receptos in gratiam Principum, extorres extitiſſe a collegio Sacerdotum. Ab eis ergo nulla ſe abſtinebit „ ſacerdotum communione: ſed quos Regia poteſtas, aut in „ gratiam benignitatis receperit, aut participes menſæ ſuæ „ effecerit, hos ſacerdotum, & populorum conventus ſuſcipere in eccleſiaſticam communionem debebit, ut quod jam „ principalis pietas habet acceptum, neque a ſacerdotibus Dei „ habeatur extraneum. “ Quæ verba tranſcripta leguntur l. 7. Capitul. c. 383. quare ex Capitularibus ea citat Carnotenſis ep. 62. & 172. Ex quibus expreſſe conſtat, non ſolum ab aliis Epiſcopis abſolvi poſſe excommunicatum ab uno, verum & Principem ſæcularem excommunicatum menſæ ſuæ adhibendo, abſolutionis donum illi impartiri. Pro cujus canonis expoſitione Cironius ad tit. de ſent. excom. Fornerius l. 3. ſelect. c. 13. Juretus in notis ad ep. 62. Ivonis, Fileſacus de idolol. c. 4. exiſtimarunt Regibus, ſupremiſque Monarchis illud privilegium fuiſſe conceſſum, ut ex qualibet culpa excommunicati abſoluti crederentur, ſi Regia Majeſtas eos in gratiam receperit, aut cum eis communicaverit; quod ut adſtruat Juretus expendit epiſtolam Anſelmi Cant. Archiep. ubi Ernulpho Priori ita ſcribit: „ Audiſtis quibus „ ex præcepto Apoſtoli communicare non poſſum ſine animæ „ meæ periculo, quorum communionem Regi communicans, „ dum ipſe eis communicat, vitare non valeo. Hic conſideret „ aliquis, quid facere poſſim cum veniam ad Regem coronandum, & Miſſam celebrabo, & ipſi circa me erunt. Certe illos expellere nequeo; cum illis orare non audeo, Regi ſubtrahere ſolitum officium non debeo, quoniam Dominus Papa „ & illi concedit: & mihi, ut faciam, ſi præſens ſum, præcipit. Si mihi dicitur, ut domi maneam, ad Curiam non eam, „ & ſic alia bona officii mei faciens, a communione malorum „ abſtineam, conquereretur Rex cum omnibus Epiſcopis, & Principibus ſuis, &c. “ Unde ajunt, recte in d. can. 12. ſtatui, ut quos Regia benignitas ad communionem acceperit, non repellant Eccleſiæ miniſtri, quia facto ipſo cenſentur abſoluti, ut ob ſimilem etiam honoris rationem excommunicatus ad oſculum pedum Pontificis admiſſus, abſolutus creditur; c. cum olim 12. de privil. notat Hoſtienſis in c. venerabili 34. verbo recognovit, de elect. Eſt enim oſculum reconciliationis argumentum. Artemid. l. 2. de ſomnis, c. 2. Sidonius l. 3. ep. 23. *Deus magne! quam lætus orietur tibi dies, mihi nuntius, animus illi, cum paternis pedibus affuſus, ex illo ore læſo, ore terribili convitium expectans, oſculum exceperit.* Similiter ſi R. Pontifex alicui reſcribit cum ſalutatione, niſi per ſubreptionem impetretur reſcriptum, excommunicatio relaxatur, c. ſi aliquando 41. de ſententia excom. ubi Gloſſa verbo Salutationi. Unde cum Pontifex abſolvere nequit, apponit clauſulam illam ſine ſalutatione. Obſervavit Cironius l. 2. obſerv. c. 14. Nec incongrue PP. dicti Concilii Toletan. inter alia adeptæ gratiæ, & communionis ſigna recenſent menſæ Regali accubitum; nam apud omnes gentes maximi honoris fuit menſæ Regali admoveri. De Hebræis conſtat ex l. 1. Regum, ubi refertur honoris cauſa Saulem Davidem qualibet die prima Lunæ menſæ ſuæ adhibuiſſe; quod & ipſum Davidem cum Alphiboſet tertio Saulis filio feciſſe refertur lib. 2. Regum, c. 19. Apud Chaldæos etiam idem obſervatum fuiſſe conſtat ex lib. 4. Regum, c. 25. & de Romanis probatur ex Statio Papinio l. 4. ſilvarum, in epulo Domitiani, Svetonio in Veſpaſiano, c. 9. quare apud eos tribuni ſcholarum divinis epulis adhibebantur, l. unica, Cod. de Comitibus, & Tribunis, Schol. Ammianus Marcel. lib. 15. *Ut ſpectabilis colebatur, & intimus facilitate aditus, honoreque menſæ Regalis antepoſitus, aliis etiam ſecretus de rerum ſumma conſultabatur.* Unde apud eos dominus ſervo proprio accumbendi ſuis epulis facultatem præſtando, libertatem concedebat. Cajus l. 1. inſtit. probavi in c. 1. de ſervis non ordin. Apud Macedonios idem uſitatum fuiſſe teſtatur Quintus Curtius l. 8. *Præcipuus honor habebatur, quod licebat ſedentibus veſci cum Rege.* De Spartanis ita ait Plutarchus in Licurgo. *Apud Spartanos electo neceſſariorum quiſque cœnam apponens dicebat, Hac te menſa civitas honorat.* De Gothis idem teſtatur Paulus Diaconus l. 1. cap. 23. *Apud Gothos honorificum menſa Regiæ adhiberi.* Sic etiam finxerunt Poetæ argumentum eſſe adeptæ divinitatis, ſi Deus, vel Dea aliquem convivio excepiſſet, juxta Poetam ibi:

—— Tu ſceptra, Jovemque
Concilias, tu das epulis accumbere Divum.

Illuſtrant Savarus ad Sidonium libro 1. epiſt. 11. Illuſtr. D. Franciſcus Ramos pro Epiſcop. Luſitan. propoſ. 1. circa finem, n. 93. Verum hæc eruditorum virorum ſententia non placet; nam nunquam legimus ſimile privilegium Regibus conceſſum, ut quos ipſi ad communionem admitterent, Prælati Eccleſiæ abſolutos a cenſuris haberent: quare canon ille tantum accipiendus eſt de illis excommunicatis, qui pacem læſerant, ſtatumque patriæ turbaverant, aut infenſo animo in Regem fuerant. Qua de cauſa anathemate proſcripti ab Eccleſia erant, juxta Conc. Tolet. 4. can. 75. Quorum criminum venia Regibus ipſis reſervata erat. Concil. Tolet. 5. can. 8. *In omnibus, quæ præmiſimus, poteſtatem indulgentiæ in culpis delinquentium Principi reſervamus.* Unde ſi ex his cauſis excommunicati indulgentiam Regis promeruiſſent, non erat ratio, quare per Epiſcopos a communione arcerentur. Facit caſus Prætexati Rhotomag. Epiſcopi, qui cum a Chilperico Rege delatus inter reos læſæ Majeſtatis apud Synodum Pariſienſem anno 577. crimen confeſſus eſſet, a communione ſecluſus fuit per hæc verba: *Quia Regis gratiam non habet, ideo nec noſtra charitate uti poteris, priuſquam Regis indulgentiam merearis.* Poſt aliquot annos a Rege Gunthramno ſuſceptus, & convivio ejus adſcitus, ad urbem ſuam regreſſus eſt, nullo Synodi judicio habito. Refert Greg. Turon. l. 7. c. 16. Quo modo acceperunt prædictum canonem 3. P. Marcha lib. 4. concord. c. 14. Theoph. Raynaud. de litteris monit. tom. 14. c. 2. fol. 403. Seldenus l. 1. de Synedriis, c. 10.

C A P U T IX.

Idem *Tyrent.* a *Archiepiſcopo.*

DUo ſimul, conſultationem ſcilicet, & querimoniam unica tuæ fraternitatis petitio continebat, per quam de venerabili fratre noſtro Jeroſolymitano *b* Patriarcha querebaris, clericos tuos tecum injuſte gravari, qui eos ſpreto tuo judicio, coram quo parati ſunt de ſe querentibus juſtitiam exhibere, licet ad eum per appellationem cauſa minime deferatur, coram ſe reſpondere compellit: & utrum ad id poſſint de jure compelli, per noſtras poſtulabas litteras edoceri. Volentes igitur tibi ſuper gravaminibus providere prædictis, & conſultationibus tuis, quod canones ſanciunt, reſpondere; cum ſit in canonibus deffinitum, *c* Primates, vel Patriarchas nihil privilegii habere præ ceteris Epiſcopis niſi quantum canones ſacri concedunt, & priſca conſuetudo illis contulit ab antiquo, ita ut ſecundum *d* Nicænas regulas ſua privilegia ſerventur Eccleſiis, præterquam ſi Apoſtolica Sedes aliquam Eccleſiam, vel Rectorem ipſius quolibet ſpeciali privilegio decrevit honorare; de fratrum noſtrorum conſilio reſpondemus, quod quamdiu clerici tui *e* coram te voluerint ſtare juri, compelli non debent judicium ejuſdem Patriarchæ ſubire, niſi cauſa forſitan per appellationem ad ejus audientiam perferatur, aut (quod non credimus) aliquod ei a Sede Apoſtol. ſit indultum. Datum Laterani Nonis Januarii.

N O T Æ.

1 a TYrenſi.) In ſexta collectione, legitur Turonenſi, ſed perperam, cum cauſa, quæ in præſenti proponitur, contigiſſet in Patriarchatu Jeroſolymitano: legendum ergo eſt Tyrenſi, ut habetur in epiſtolis Innocentii III. emendatis a Jacobo Sirleto, pag. 249. quo modo etiam emendanda eſt inſcriptio textus in c. 2. de apoſtatis. Tyrenſis provincia ſplendidiſſima eſt in Syria, Romanorum colonia, l. 1. & 4. ff. de cenſibus. Metropolis Conſularis dicitur in Concil. Chalced. can. 4. illic: *Poſt Conſulatum Flavii Zenonis, & Poſthumiani, ſub die 5. Kalendarum Martiarum in colonia Tyro, clariſſima Metropoli Conſulari.* Eſt Archiepiſcopalis civitas, ut probat Berterius diatriba 1. pag. 41. licet enim in octava Synodo Exarchi nomine appelletur Tyrenſis Præſul, ideo contigit, quia eo tempore diem ultimum clauſerat Antiochenus Patriarcha, ut in prima actione ipſius Synodi refertur, & interim Tyrenſis Archiepiſcopus Primatis dignitate fulgebat, ut notat Berterius diatriba 2. pag. 153.

b Patriarcha.) De quo nonnulla adduxi in c. 3. de clericis peregrinis. 2

c Primates & Patriarchæ.) Olim dignitates iſtæ tantum nomine, non vero re diſtinctæ, aut diverſæ erant; idem enim appellabatur Patriarcha, ac Primas, c. 1. 99. diſt. Patriarchæ & Primates, diverſorum ſunt nominum, ſed ejuſdem officii. Concil. Chalced. can. 9. lib. 7. Capitul. Caroli c. 63. 241. & 334. Unde qui appellabatur Patriarcha, ſtatim Primas dicebatur, c. conqueſtus, cap. nec, 9. q. 3. Docent plura adducentes Fileſacus in præſenti, §. 9. Germonius l. 2. de ſacrorum immunit. cap. 5. num. 27. Cæſar de Eccleſ. hierarch. diſp. 4. §. 1. Dartis in d. 99. diſt. Loaylas in can. 8. Concilii Tolet. 13. qui etiam notant Metropolitanum dici plerumque Primatem.

d Nicænas regulas.) Relatas in cap. mos antiquus, 65. diſt. quem textum expoſui in c. 1. de tranſlat. Epiſcopi, c. antiqua, de privilegiis.

3 e Coram te voluerint.) Ex his verbis facile deducitur, quod ſi ſubditi Archiepiſcoporum noluerint coram Metropolitanis litigare, ſed potius in Patriarchas conſenſerint, quod tunc etiam in prima inſtantia poterit Patriarcha de cauſis ſubditorum ſuffraganeorum cognoſcere; quod difficile redditur ex deciſione textus in c. 1. de foro compet. & illo juris principio, quo inhibetur clericis, & eccleſiaſticis perſonis, judicis non ſui juriſdictionem prorogare, ne confundatur ordo hierarchicus, c. 1. 9. q. 2. c. Epiſcopus, eademq. textus diſertus in c. ſignificaſti, de foro compet. Sed pro iſtorum verborum, quæ ambiguitatem continent, interpretatione dicendum eſt, temporibus Innocentii III. & jure Decretalium inſpecto, certum eſſe, clericum non poſſe prorogare juriſdictionem judicis non ſui, niſi conſentiente proprio Epiſcopo, d. c. 1. d. c. ſignificaſti. At vero circa prorogationem Archiepiſcopi, Patriarchæve ex propria voluntate, non ita prohibitionem fuiſſe apertam, quia tunc non prorogatur juriſdictio extranei judicis, ſed ſuperioris, c. non liceat 3. q. 6. Unde neceſſaria fuit deciſio textus in d. c. 1. de foro compet. ut etiam ex conſenſu partium juriſdictio Archiepiſcopi, tanquam extranei judicis in prima inſtantia judicii prorogari non poſſet: unde cum ſatis aperte non liqueret temporibus Innocentii III. utrum talis juriſdictio Archiepiſcopi prorogari poſſet; ideo prædicta verba ita ambigua appoſuit Innocentius, ut jam obſervavit Cæſar d. diſp. 5. §. 2. n. 15.

C O M M E N T A R I U M.

4 Concluſio refertur, & probatur. EX hac Innocentii epiſtola talis deducitur communiter diſputanda aſſertio: *De cauſis ſubditorum ſuffraganeorum Archiepiſcopi, ſeu Primates cognoſcere nequeunt, niſi per appellationis modum, aut ratione conſuetudinis, aut privilegii juriſdictionem obtineant.* Probant eam textus in c. nullus, 9. q. 2. capit. conqueſtus, & per totam 9. q. 3. c. 1. & ult. 18. q. 2. c. ſcitote 6. q. 3. c. 1. de foro compet. l. 6. c. 1. hoc tit. eod. lib. c. 1. de officio vicarii, eod. lib. c. 1. de ſupplend. neglig. in 6. c. 3. de appell. eod. lib. c. 1. de pœnis, eod. lib. c. 1. de pœnit. eod. lib. c. non videtur, hoc tit. in 5. collect. apud Cironium. Illuſtrant ultra congeſtos a Barboſa in præſenti, & l. 1. juris eccleſ. p. 7. n. 51. Cæſar de eccleſ. hierarch. diſp. 5. §. 2. Franciſcus Hallierius de hierarch. juriſd. l. 4. c. 1. pag. 582. Petrus Greg. l. 15. ſyntagm. c. 5. Fileſacus in præſenti, Joannes Dartis in diſt. 9. q. 3. & 99. diſt. Germonius de ſacrorum immunit. l. 1. c. 7. n. 51. Paulus Idumay in notis ad Innocent. III. l. 2. ep. 45. Balboa in c. 1. de foro compet. n. 25. Covar. pract. q. 10. n. 6. Didacus Perez in l. 13. tit. 4. l. 3. Ordin. Paz in praxi, t. 2. prælud. 1. n. 3. Lotherius l. 1. de re benefic. q. 22. Villaroel. t. 1. regim. eccleſ. q. 4. art. 2. Marinis l. 1. reſol. c. 19. Abruzo in lecturis ad leg. 1. ff. de judiciis, q. 34.

5 Impugnatur hæc aſſertio. Sed adverſus hanc Innocentii deciſionem pro dubitandi ratione primo ſic argumentor. Archiepiſcopus in tota ſua provincia, & Primas in univerſo ſuo Primatu abſolutam obtinent juriſdictionem, can. 34. Apoſt. “ Epiſcopi ſuum Primatem, & „ caput agnoſcant, nihilque eminens ſine ejus voluntate faciant, præterquam quæ ad parœcias, & vicos ſuos pertinent. „ Et c. per ſingulos 1. & 29. q. 3. Concil. Pariſ. ſub Ludovic. l. 1. c. „ 17. Si quiſquam imminente nimia neceſſitate inconſulto Primate provinciæ, aut certe majore urgente neceſſitate, non „ adhibitis teſtibus vicinis Epiſcopis res Eccleſiæ diſtrahere „ tentaverit, ita canonico judicio percellatur, ut amiſſo honore reus Deo & Concilio teneatur. „ Alia adducit Anton. Aug. in epit. juris Pontif. l. 6. tit. 56. igitur non ſolum in caſibus appellationis, conſuetudinis, ſeu privilegii, verum in omnibus poſſunt Archiepiſcopi, & Primates de cauſis ſubditorum ſuorum ſuffraganeorum cognoſcere. Augetur hæc difficultas ex illo vulgari juris dicterio, quo docetur, ſi vinco vincentem te, a fortiori vincam te, l. de acceſſionibus 14. verſic. Nam qui me potior, ff. de diverſis & tempor. c. auctoritate 7. de conceſſ. preb. l. 6. ſed Patriarcha habet juriſdictionem in Archiepiſcopos, Archiepiſcopi in Epiſcopos, d. c. 1. & 2. 9. q. 3. igitur a fortiori ipſi habebunt juriſdictionem in ſubditos ſuffraganeorum ſuorum. Augetur tandem hæc dubitandi ratio ex eo, quia Primates, & Archiepiſcopi ſunt conſtituti in majoribus civitatibus, ubi temporibus Imperii Romanorum præerant Præfecti, Proconſules, & ceteri Magiſtratus majores, ut infra dicemus: ſed iſti Magiſtratus plenariam in ſuis provinciis habebant juriſdictionem circa omnes ſuarum provinciarum ſubditos, l. 1. C. de off. Præfecti urb. l. ult. verſ. Ita tamen, C. de juriſd. l. 1. §. cura carnis, l. 2. ff. de off. Præfecti urbis: igitur ſimiliter Patriarchæ, & Archiepiſcopi omnimodam habent juriſdictionem in ſubditos ſuæ provinciæ. Secundo etiam difficilis videtur hæc aſſertio, quatenus affirmat, conſuetudine introduci poſſe, ut Patriarcha, & Archiepiſcopus extra caſus a jure expreſſos poſſint exercere juriſdictionem in ſubditos ſuffraganeorum; nam conſuetudo ſacris canonibus contraria non admittitur, imo improbatur, c. cum venerabilis 7. de conſuetudine, c. 1. circa finem, de his quæ fiunt a majori parte, c. 2. de tempor. ordin. c. ex frequentibus, de inſtit. Sed hæc conſuetudo repugnat ſacris canonibus, qui tantum certis caſibus juriſdictionem concedunt Archiepiſcopis in cauſis ſubditorum ſuffraganeorum: igitur non debet admitti. Unde in terminis hujus deciſionis conſuetudo damnatur in c. 2. de pœnit. & remiſſ. l. 6. in c. 1. §. 1. de foro compet. l. 6. in illis verbis: *Niſi aliud in his tribus de conſuetudine obtineat.* Ubi per argumentum a ſpeciali probatur, in aliis caſibus conſuetudinem non admitti.

6 De juriſdictione Patriarcharum. Adhuc tamen defenſanda eſt præſens Innocentii deciſio, ad cujus expoſitionem, & veram interpretationem præſentis textus ſciendum eſt, quod cum Chriſtus Dominus omnes ſuas oves paſcendas, earumque curam Petro commendaſſet, extravag. unam ſanctam, de majorit. & obed. & fidelium grex multum excreſceret, c. in novo, 21. diſt. D. Petrus neceſſarium duxit, cum non poſſet per ſingulas provincias diſcurrere, eas dividere, c. 10. c. in illis, 80. diſt. Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & alios inferiores Prælatos per diverſa loca diſperſos conſtituere, c. 1. 99. diſt. de quorum munere, & officio videndus eſt Petrus Greg. l. 15. ſyntagm. c. 5. cum ſequent. Finis autem, & ſcopus hujus diviſionis fuit, ut omnia ordinate, & in Eccleſiæ ædificationem ſine confuſione fierent, ita diviſa Eccleſiæ cura, c. mandata de preſum. Sed quia confuſio cum magno ſpiritualis Reipublicæ malo facile oriretur, niſi Eccleſiæ Prælati intercancellos curæ ſibi commiſſæ continerentur; ideo conveniens viſum eſt unicuique in ſua diœceſi privatam juriſdictionem concedere, ita ut altera alterius clericum neque ordinare, neque dijudicare præſumat, c. nullus alterius, c. nullus Primas, c. nullus Epiſcoporum, c. Epiſcopum 9. q. 2. c. per ſingulas 2. c. ſi autem, c. nullus 9. q. 3. & e contra etiam clericis interdictum eſt, relictis propriis Epiſcopis, aliorum judicia expetere, aut pati, c. non liceat 3. q. 6. quia clerici a propriis Epiſcopis, non ab alienis debent judicari, c. ſcitote 6. q. 3. qua de cauſa licet conſenſus privatorum ſufficiens ſit ad prorogandam alterius juriſdictionem, etiamſi proprii judicis conſenſus non accedat, l. 1. ff. de judiciis, l. ille a quo, § tempeſtivum, ff. ad Trebell. l. ſi convenerit 18. ff. de juriſdict. attamen clerici non poſſunt coram aliis judicibus etiam eccleſiaſticis conveniri, niſi interveniente proprii Epiſcopi conſenſu, ne confundatur eccleſiaſtica juriſdictio, c. 1. c. ſignificaſti, de foro compet. Et quia juriſdictio eccleſiaſtica privative conceſſa eſt, quæ eſt verior ratio, omiſſis aliis traditis a Bartolo in l. 1. n. 1. & 2. ff. de judiciis, Abbate d. cap. ſignificaſti, n. 7. ad finem, Jaſone in l. 1. §. & poſt., n. 11. de novi operis nunt. Vantio de nullitat. tit. quibus modis ſententia nulla, n. 78. Barboſa in l. 1. art. 3. n. 105. ff. de judiciis, dicemus latius in d. c. 1. de foro compet. Unde ſæpe ſæpius ſacris canonibus cautum legimus, ne Epiſcopus, vel ſuperior alienum ſubditum condemnare, vel abſolvere præſumat.

Deinde ſciendum eſt, diviſionem Eccleſiarum Patriarchalium, & Metropolitanarum factam fuiſſe juxta diviſionem provinciarum, quam jam Romani ante tempora Conſtantini obſervaverant in conſtituendis majoribus Magiſtratibus, & ſacerdotibus, c. 1. 99. diſt. Cum enim Apoſtoli agnoviſſent in eas provinciarum partes fuiſſe Primates ſæculares, & Archiflamines fuiſſe, ac judiciariam poteſtatem ipſos exercere, ita ut quia Princeps propter loci diſtantiam facile adiri non poterat, commorantes per provincias pro oppreſſionibus, & injuſtitiis ſibi illatis ad eos appellarent, Apoſtoli in proprium uſum Eccleſiæ, & juriſdictions eccleſiaſticæ prædictam diviſionem amplexi, & ſecuti fuerunt, & in ipſis provinciarum capitibus Patriarchas, ſeu Primates appoſuerunt. Docent Fileſacus in præſenti, Barboſa l. 1. juris eccleſ. c. 6. & de poteſt. Epiſcop. c. 7. Cæſar de eccleſ. Hierarch. diſp. 5. §. 1. Morinus l. 1. exerc. c. 1. & 2. Vivar. ad Flavium Dextrum anno 165. Meurſius in Gloſſario, verbo Patriarcha, Fragoſo de regim. Chriſt. Reip. l. 7. diſp. 16. §. 1. Acunna de Primatu Eccleſiæ Brachar. can. 6. Balſamon in can. 6. Concilii Nicæni, Berterius diatriba 2. per totam, Caſaubonus ad Vopiſcum, pag. 249. Hallierius de ſacris elect. ſect. 5. 2. p. c. 4. art. 3. § 3. Carrier. tom. 2. ff. fidei, pag. 631. de quorum Patriarcharum numero, & diſtinctione plura Deo volente dabimus in c. antiqua, de privilegiis. Deinde etiam cum agnoviſſent Apoſtoli in diviſione imperii fuiſſe etiam Metropolitanas civitates, quæ minores judices habebant illis Magiſtratibus, qui in provinciarum capite erant conſtituti, etiam conſtituerunt in illis civitatibus Matricibus Archiepiſcopos, ſeu Metropolitanos, qui Primatibus ſubeſſent, & aliis inferioribus, videlicet Epiſcopis, præeſſent, c. 2. 99. diſt. Docent Cæſar d. diſp. 5. §. 1. Fileſacus in præſenti. §. 14. Barboſa d. l. 1. juris eccleſ. c. 7. Germonius l. 3. de ſacrorum immunit. cap. 7. 7 De origine Patriarcharum.

His præmiſſis circa originem Patriarcharum, & Archiepiſcoporum, eorum juriſdictio obſervanda eſt. Et ſcire oportet, Patriarchas, ſeu Primates, præeſſe omnibus Archiepiſcopis & Epiſcopis ſui Patriarchatus, licet diverſo modo; reſpectu enim Archiepiſcoporum in omnibus cauſis; reſpectu vero Epiſcoporum in certis, ex præſenti deciſione. Erga Archiepiſcopos illis concedunt pallium, & juramentum fidelitatis accipiunt, c. antiqua, de privil. deinde in cauſis ipſorum etiam in prima inſtantia habent juriſdictionem ordinariam, c. ſi clericus, 11. q. 1. & a ſententiis ab ipſis prolatis ad Patriarcham appellatur, d. c. antiqua. In cauſis etiam ſuffraganeorum ab Archiepiſcopis deciſis appellatur ad Patriarcham, c. ſi inter 6. q. 4. d. c. antiqua, plura Hallierius de hierarch. juriſd. lib. 4. p. 838. Habet etiam Primas facultatem ordinandi ipſos Archiepiſcopos ſibi ſubjectos, ut de Patriarcha Alexandrino refertur in ep. Synodica Conc. Nicæni, apud Theodoretum l. 1. c. 9. Caſſiodorum l. 2. tripart. c. 12. De Antiocheno conſtat ex can. 6. Concilii Nicæni, juncta expoſitione Innocentii I. ep. 18. ad Alexandrum Antiochenum Præſulem, cujus verba refert Clemens ep. 1. poſt medium, „ Epiſcoporum judicia, & majora Eccleſiarum judicia ad Primates, vel Patriarchas ſunt deferenda. Anacletus ep. 2. c. 4. Ad „ Primates, vel Patriarchas poſt Sedem Apoſtolicam ſumma „ negotia conveniant. “ Stephanus Pontifex ep. 9. c. 5. ad Patriarchas, & Primates Epiſcoporum negotia, ſalva in omnibus Apoſtolica auctoritate, ſunt referenda. Patriarcha etiam ſupplet negligentiam Metropolitani, c. cum ſimus 9. q. 3. & vacante ipſa ſede debet œconomum conſtituere, & curare ut res Eccleſiæ cuſtodiantur, c. cum vos, c. præſenti, hoc tit. Tandem in convocan- 8 De juriſdictione eorum.

vocandis Conciliis, & ſtatuenda diſciplina eccleſiaſtica habet omnem auctoritatem, ut probat Hallier. *ubi ſup.* utiturque inſigniis propriis, vexillum crucis deferendo etiam extra ſuam provinciam, *c. antiqua, de privilegiis.* Alia munia, & officia Patriarcharum referunt Cæſar *ubi ſup. diſp. 4. §. 4.* Hallierius *ubi proxime*, & alii ſupra congeſti de Patriarchis, & eorum dignitate agentes.

9 Archiepiſcoporum juriſdictio. Archiepiſcopi etiam in proprios ſuffraganeos non inferiorem obtinent auctoritatem; habent enim ordinariam juriſdictionem in Epiſcopos ipſius provinciæ, *c. 1. & 2. 99. diſt. c. per ſingulas 9. q. 3.* quare & vicarium ſuffraganei poſſe carceri mancipare, probat Marinis *l. 1. reſol. c. 28.* Dicunturque eidem Suffraganei metropolitana legi ſubjecti, *c. paſtoralis, in principio, de off. ordin.* olim quidem in Synodo provinciali de eorum cauſis cognoſcebant, *c. ſalvo, c. Archiepiſcopus 9. q. 3. c. placuit 2. q. 6. c. ſi inter 6. q. 4. c. ſi clericus 11. q. 1.* Hallierius *de hierarch. juriſd. l. 4. pag. 497.* Hodie civiles tantum cauſas definire valent. Poſſunt etiam Metropolitani Concilium provinciale celebrare irrequiſito Primate, *c. ſi quis Epiſcopus, 97. diſt. c. 1. 18. diſt.* & convocare Epiſcopos, qui etiam renuentes venire coguntur, *canon. 31. & 38. Apoſt.* Concilium Nicænum 1. *can.* 5. Antiochenum *can.* 20. Calced. *can.* 19. Arelat. 2. *can.* 18. Agath. *can.* 35. Tarracon. *can.* 13. Toletan. 2. *can. ultim.* Tolet. 4. *can.* 5. Aurelian 2. *can.* 2. tertium *can.* 1. quartum *can.* 36. quintum *can.* 38. Turon. 2. *can.* 1. Matiſcon. 2. *can.* 20. Epaunenſe *can.* 1. Trullanum *can.* 8. & in ipſo Concilio teſtes deſignare, qui in futura Synodo referant ea, quæ reformatione digna judicentur, juxta textum *in c. Epiſcopus in Synodo, 35. q. 6.* & Epiſcopos in eo delinquentes punire, quorum judices ordinarii ſunt. Clem. *ep.* 1. Anacletus *ep.* 4. *ante finem*, Anicetus *ep.* 1. Hyginus *ep.* 1. Calliſtus *ep.* 2. Lucius *ep. un.* Concilium Antiochenum *can.* 9. & 14. Nicænum *can.* 54. Carthag. 3. *can.* 5. Tolet. 3. *can.* 20. Matiſcon. 2. *can.* 9. Aurel. 5. *can.* 17. *c. 1. §. fin. hoc tit. in 6.* Debent etiam Archiepiſcopi ordinare omnes Epiſcopos comprovinciales, ut probavi *in c. ſi Archiepiſcopus, de temporib. ordin.* quo tempore illis debent promittere obedientiam, & reverentiam. Concilium Vern. ſub Pipino *can.* 3. Mel *can.* 31. Tullenſe *can.* 9. atque Epiſcopis proficiſcentibus extra provinciam litteras commendatititias dare, Concilium Antioch. *canon.* 2. Carthag. 2. *can.* 28. Aquiſgran. *can.* 77. Tandemque majores & difficiliores cauſas, quas Epiſcopi decidere non valent, ad Archiepiſcopum referre. Concil. Mogunt. celebratum anno 740. *n.* 6. & omnia, quæ ad rectum provinciæ regimen ſpectant, Archiepiſcopi diſponere valent, *can.* 34. alias 35. Apoſt. Concilium Nicænum *can.* 61. Antioch. *can.* 9.

10 De ſubditis ſuffraganeorum. Nec ſolum in ipſos Suffragneos, verum etiam in eorum ſubditos Archiepiſcopi juriſdictionem exercent in certis caſibus a jure expreſſis, & aliis conſuetudine, aut privilegio introductis, ut in præſenti textu docetur. Primus caſus eſt, cum querela coram Archiepiſcopo proponitur a ſubdito ſuffraganei contra ipſum Epiſcopum. Concil. Sardic. *can.* 14. Carthag. 6. *can.* 6. Afric. 2. *can.* 101. Aurelian. 5. *can.* 7. Tolet. 3. *can.* 20. Tolet. 7. *can.* 3. Tolet. 9. *can.* 1. Tolet. 13. *can.* 1. Synodus 8. Generalis *can.* 26. Secundus eſt, cum per appellationem interpoſitam a ſententia ab Epiſcopo prolata provocatur Archiepiſcopus, *c. ad reprimendam 8. hoc tit. c. dilectis, c. cauſam, c. ſolicitudinem, de appell. c. per tuas, de ſentent. excomm. c. 1. de foro compet. lib. 6. c. Romana, de appell. eod lib. c. ut litigantes, hoc tit. in 6. c. venerabilibus, de ſentent. excomm. eod. lib.* quarum cauſarum ratione ſolent Archiepiſcopi habere tribunal erectum in aliqua diœceſi ex comprovincialibus. Tertius caſus evenit cum negligentes ſunt ſuffraganei in adminiſtratione juſtitiæ ſubditis propriis: tunc enim eorum negligentiam Archiepiſcopus ſupplere debet. Synodus Nicæna 2. *can.* 11. Tolet. 8. *can.* 8. & Tolet. 11. *can.* 4. Innocent. III. *l. 1. epiſt.* in codice Colonio edito a Sirleto *folio* 88. Unde negligente Epiſcopo in conſtitutione œconomi, illum Archiepiſcopus conſtituit, *c. cum ſimus 9. quæſt. 3.* & eo negligente circa collationem beneficiorum, ſimul cum Capitulo Archiepiſcopus confert, *c. licet, c. fin. de ſupplend. negligent.* & eo negligente abſolvere excommunicatum, Archiepiſcopus illum abſolvit, *c. ad reprimendam, hoc titul.* ubi dixi, niſi negligentia excuſabilis ſit, ut in ſpecie textus *in c. 1. & 3. de ſupplend. neglig.* vel niſi actus qui deſideratur, pro forma deſideretur; tunc enim negligentia Epiſcopi poteſt ſuppleri per Archiepiſcopum *cap. penult.* ubi Gloſſa *verbo Mandantibus, de re judicata lib. 6.* juxta quam limitationem accipiendus eſt textus *in cap. nullus, de jurepatron.* juncto Cæſare *de Eccleſiaſt. Hierarch. dict. diſp. 5. §. 2. num.* 23. Quartus caſus contingit, cum Archiepiſcopus viſitat ſuam provinciam, quam viſitare tenetur, *c. cum ex officiis, de præſc. c. cum: nuper, de cenſibus, c. 1. eod. tit. lib. 6.* in ipſo enim actu viſitationis poteſt Archiepiſcopus animadvertere in ſubditos ſuffraganeorum, nulla etiam data negligentia in ipſis ſuffraganeis, *dict. c. 1. de cenſibus*; licet hodie non poſſint Archiepiſcopi viſitare provinciam, niſi ex cauſa in Concilio provinciali approbata. In aliis etiam caſibus ſpecialibus poteſt Archiepiſcopus in ſubditos ſuffraganeorum animadvetere, ut ſi hæreſis per ſuam provinciam graſſari incipiat, *c. 3. §. adjicimus, c. excommunicamus de hæreticis*: vel ut ſimoniæ vitium extirpet, *c. dilectus, el 2. de ſimonia*; vel ut vitetur ignorantia divini juris. Concilium Tolet. 8. *can.* 8. Tolet. 11. *can.* 2. Arelaten. ſub Carolo, *can.* 8. Item poſſunt animadvertere in eos, qui aliquid ex bonis Epiſcopi decedentis expilaverint, aut celaverint. Concil. Valent. Hiſpaniæ *can.* 3. Tolet. 9. *can.* 7. Trorleian. *can.* 14. item compeſcere quæſtuarios illigetimos per ſuam provinciam, *c. ex tuarum, de privileg.* Debet etiam Archiepiſcopus, cum opus fuerit, auctoritatem præſtare alienationi rerum Eccleſiaſticarum, *c. dudum de rebus Eccleſiæ, c. 2. de tranſactionibus.* Item cum conſtat de nimia negligentia ſuorum ſuffraganeorum in obeundis muneribus; ad quæ ratione ordinis, vel lege juriſdictionis, aut diœceſana tenentur; quia tunc juriſdictio ad Archiepiſcopum devolvitur, *c. Romana, §. ſane, de cenſibus, lib. 6. c. Romana, de pœnis, eod. lib. 11. tit. 5. partit.* 1. Proſequuntur alios caſus Paz *in praxi, 2. tom. præl. 2. n. 14.* Gratianus *lib. 1. diſcep. c. 169.* Solorzanus *tom. 2. de jure Indiar. lib. 3. c. 7. n. 33.*

11 Traditur ratio decidendi. Quibus ita præmiſſis, ratio hujus deciſionis ex eo provenit, nam cum confundatur Eccleſiaſticus ordo, ſi unicuique propria non ſervetur juriſdictio, *c. pervenit 11. q. 3.* junctis traditis in commentario antecedenti; & bono publico, ſalutique animarum maxime expediat, ne in Eccleſia alienus ſubditus ab extraneo judicetur Prælato; non enim æque bene per alienos, ac per proprios judices ſubditis conſulitur; & Patriarchis, atque Archiepiſcopis certis tantum in caſibus permiſſum ſit de cauſis Suffraganeorum cognoſcere; ideo in aliis procedere non poſſunt, ne, ut dixi, confundatur ordo hierarchicus, & diſciplina Eccleſiaſtica contemnatur; nam cauſæ omnes quoad primam inſtantiam coram Ordinariis locorum tractandæ ſunt. Trident. *ſeſſ. 24. de reform. c. 20.* ubi plures Barboſa, Solorzanus *tom. 2. de jure Indiar. l. 3. c. 3. n. 1.* Salgado *de ſupplic. 2. par. fere per totam.* Unde non poſſunt Primates, ſeu Archiepiſcopi compellere ſubditos ſuffraganeorum ad ſuſcipiendam juriſdictionem delegatam, *c. paſtoralis, hoc tit.* nec etiam ipſos ſubditos ſuffraganeorum ad teſtimonium perhibendum cogere, ut late probat Hallerius *de hierar. juriſd.* ubi ſupra, *pag.* 500. niſi contrarium conſuetudine, aut privilegio introductum reperiatur; cum enim conſuetudine, aut privilegio acquiratur juriſdictio, *c. cum contingat, de foro comp., c. 1. eod. tit. in 6. c. conſuetudinis 3. de conſuet. l. 6.* ideo ſi conſuetudine, aut privilegio Archiepiſcopi utantur, poſſunt ultra caſus ſupra enumeratos de cauſis ſubditoram ſuffraganeoram cognoſcere.

12 Diſſolvitur prima difficultas. Nec obſtat prima difficultas pro dubitandi ratione perpenſa; verum enim eſt, Primatem in toto ſuo Primatu, Archiepiſcopum in propria provincia habere juriſdictionem in habitu, non vero in actu immediate, niſi in caſibus ſupra enumeratis, conſuetudine, aut privilegio introductis; habent enim Archiepiſcopi poteſtatem in univerſa provincia, ſed non in particulares ipſius provinciæ, qui ſubſunt juriſdictioni privatæ immediatæ ſuffraganeorum. Nec etiam adverſatur primum argumentum prædictæ difficultatis, quia licet certum ſit, quod ſi vinco vincentem te, a fortiori vinco te; illud principium procedit ubi militat eadem ratio, & juris abſurdum ſequitur, ut docent Pax *ubi ſupra, prælud. 1. n. 17.* Petrus Greg. *in c. conquerente, c. 12. n. 12. hoc tit.* licet enim Epiſcopi pareant Archiepiſcopis, non tamen ſubditi Epiſcoporum ſunt in eorum poteſtate eodem genere juriſdictionis, propter ejus diſtinctionem, quam ſupra expoſui: neque ullum ſequitur abſurdum ex eo, quod Archiepiſcopus habeat juriſdictionem Metropoliticam in tota provincia, non autem obtineat Epiſcopalem in ſubditos ſuffraganeorum; ſicut nec eſt abſurdum, ut ſubditus mei ſubditi ſubditus meus non ſit, ex ratione legis. Modeſtinus 105. *ff. de V. S.* Vulgare enim juris dicterium ſupra adductum habet locum in eodem genere poteſtatis; non vero in diverſo: unde diœceſani ſubſunt Epiſcopo Epiſcopali juriſdictione; Epiſcopi vero proprio Metropolitano Archiepiſcopali: ideo non ſequitur ſubditos Epiſcoporum parere Archiepiſcopis eodem genere ſubjectionis, ſeu poteſtatis. Nec obſtat ultimum argumentum ipſius difficultatis; nam licet Apoſtoli, & eorum ſucceſſores a Romana politia, & Magiſtratuum diviſione magna in parte mutuaſſent formam conſtituendi Primates, Archiepiſcopos, & Epiſcopos; non tamen in omnibus, & per omnia ſecuti fuerunt modum, & formam Romanæ Reipublicæ, ut probat late Fileſacus *in præſenti, §. 2.* Unde non valet argumentum a juriſdictione Magiſtratuum populi Romani ad noſtros Magiſtratus Eccleſiaſticos jure Eccleſiaſtico inſtitutos.

13 Reſpondetur ſecundæ difficultatis. Neque adverſatur ſecunda difficultas ſupra adducta, cui ut ſatisfaciat Cæſar *de Eccleſiaſt. hierar. diſp. 5. §. 2.* exiſtimat, diſcrimen eſſe conſtituendum inter conſuetudinem illam, qua juriſdictio protrahitur ultra caſus a jure expreſſos; & inter eam, per quam in caſu appellationis, & ceteris, qui jure ordinario ad Archiepiſcopum ſpectant, protrahitur juriſdictio ultra illos caſus: in prima parte conſuetudinem non admitti, *c. cum ſatis, de officio Archidiac.* quia per talem conſuetudinem offenduntur regulæ SS. PP. de quibus *in c. nullus 9. quæſt. 3. c. 1. 2. & per totam 9. q. 3.* in ſecunda vero diſtinctionis parte conſuetudinem admitti, & eo caſu procedere textus *in c. 1. de foro compet. l. 9. c. ut litigantes, hoc tit. eod. l.* Sed hæc diſtinctio convincitur ex eo, nam in caſibus, in quibus Archiepiſcopus juriſdictionem exercet in ſubditos ſuffraganeorum, fruſtra conſuetudo deſideratur: igitur ſi conſuetudo aliquid operatur circa juriſdictionem Archiepiſcopi in prædictos ſubditos, maxime in caſibus, in quibus jus non permittit Archiepiſcopum cognoſcere: quare hac ſolutione omiſſa dicendum eſt, conſuetudinem, ſeu privilegium poſſe juriſdictionem tribuere Archiepiſcopis extra caſus, in quibus jus illis concedit juriſdictionem in ſubditos ſuffraganeorum, cum conſuetudo poſſit præſtare juriſdictionem eam non habenti, *c. conqueſtus 9. q. 3. d. c. cum contingat, c. dilecti, de arbitris, c. irrefragabilis, §. excep. hoc tit.* Covarr. *in regula poſſeſſor, 2. par. §. 3. n. 1.* Navarrus *in c. placuit, n. 31. de pœnit. diſt. 7.* Aviles *in capitulis*

Prætorum, verbo Noſtrum, n. 7. Pax *in praxi, tom. 2. prælud. 2. n. 55.* Nec tunc obſtat difficultas ſupra adducta; certum enim eſt, conſuetudinem ſacris canonibus contrariam, irrationabilem præſumi; interim tamen ſi hæc præſumptio ceſſet propter juſtam cauſam quæ de novo emergat, juſta, & legitima cenſebitur, quamvis directe contraria ſit ſacris canonibus; quia cum leges Pontificiæ humanæ ſint, pro varietate temporum mutantur, *c. non debet, de conſanguinit. & affinit. c. ult. de conſuet.* Unde conſuetudine legitime præſcripta poterit Archiepiſcopus extra caſus a jure expreſſos de cauſis ſubditorum ſuffraganeorum cognoſcere; quod facile evincit textus præſens in illis verbis: *Et priſca illi conſuetudo contulit, c. 1. §. 1. de foro compet. l. 6. c. & quod dicitur, hoc tit. in 5. collectione*; in quibus potius approbatur hæc conſuetudo, quam rejicitur.

14 Exponitur c. 3. de foro compet. Sed adhuc ſuperiori aſſertioni adverſatur textus *in c. ſane 3. de foro compet.* ubi ſtatuitur a Patribus Concilii Africani, ut ſi duo Epiſcopi diverſarum provinciarum inter ſe litem habuerint, ille Primas det judices; in cujus territorio eſt locus, de quo contenditur. Ex quo brevi canone duplex adverſus ſupra tradita inſurgit difficultas. Prima videlicet, quomodo cauſa Epiſcoporum diſceptetur coram Primate, omiſſo Metropolitani judicio, contra præſentem deciſionem. Secundo, ſi Primas illius provinciæ, ubi eſt locus, de quo contenditur, judex competens eſt, & de cauſa cognovit; quare tantum dat judices, non autem ſententiam definitivam in ipſa cauſa profert, contra textum in lege *cum Prætor 12. ff. de judiciis.* Pro cujus textus ſolutione Cæſar *de Eccleſ. Hierar. diſput. 4. §. 4. & diſput. 5. §. 2.* affirmat, textum illum procedere in ſecunda inſtantia, cum videlicet appellatum eſt a ſententia Archiepiſcopi; tunc enim quia gradatim ad ipſum Primatem appellatur, de cauſa jure cognoſcit; ideo autem eum judices dare, quia cum eſſent in diverſis, longinquiſque provinciis, commode adire non poterant ipſum Patriarcham, ſed cum magno ſalutis, & expenſarum diſpendio. Sed hæc ſolutio nullo modo convenit verbis, & menti ipſius textus; ſiquidem in eo potius de prima, quam ſecunda inſtantia agitur. Quare hac omiſſa ſolutione, verius dicendum eſt, in eo textu agi de provinciis Eccleſiæ Africanæ, ubi ad juſtas, rationabileſque cauſas in uſu fuerunt certi judices electi, ſeu electitii, qui a Primate ex partium conſenſu dabantur, de quibus *in c. 1. de arbitris*, ubi late dicemus: ut enim appellationibus via præcluderetur, in quibus proſequendis Africani infeſti admodum, & moleſti erant, ut provocandi occaſio vitaretur, ſtatutum fuit a Patribus Eccleſiæ Africanæ, ut ſi diverſarum provinciarum Epiſcopi cauſam inter ſe habuerint, Primas ille det judices, in cujus provincia eſt locus, de quo contenditur, a quibus appellare non licebat, *c. a judicibus, 2. quæſt. 6.* Cironius *lib. 2. obſerv. c. 2.* Anton. Capella *ad appell. Eccleſiæ Afric. c. 4.* De ipſis etiam judicibus accipiendus eſt textus *in c. 1. 4. &* 5. qui alias difficilem valde reddit noſtri Innocentii deciſionem.

15 Explicatur c. 138. Concilii Africani. Secundo adverſatur ſuperiori aſſertioni textus *in can. 138. Concilii Africani*, in illis verbis; *Decreta Nicæna, ſive inferioris gradus clericos, ſive ipſos Epiſcopos Metropolitanis apertiſſime commiſerunt.* Ex quibus aperte deducitur, Archiepiſcopos, omiſſis ſuffraganeis, poſſe eorum ſubditos judicare, & condemnare: igitur quia Archiepiſcopi de cauſis ſubditorum ſuffraganeorum cognoſcere valent. Huic difficultati duplici modo ſatisfieri poteſt. Primo aſſerendo, textum illum exaudiendum eſſe de cauſis ſubditorum ſuffraganeorum in ſecunda inſtantia. Secundo aſſerendo, textum illum procedere in Eccleſia Africana, in qua depoſitiones clericorum reſervatæ erant Metropolitanis, ut ex epiſtola 126. D. Auguſtini probat Hallierius *l. 4. de juriſd. hierarch. §. 4. pag.* 487. unde ſenſus prædicti canonis erit, cognitionem criminis depoſitione digni Metropolitanis ſacros canones commiſiſſe.

Obſtat etiam textus *in c. ex frequentibus, de inſtitutionibus*: cujus interpretationem in ejus notis dabimus.

C A P U T X.

N. a *Turonen. Archiepiſcopo.*

QUod *b* Sed. Apoſt. conſulis ſuper iis, quæ dubia tibi exiſtunt, gratum gerimus & acceptum, & tua exinde fraternitas videtur merito commendanda; cum lex divinæ *c* conſtitutionis eamdem Sedem totius poſuerit orbis terrarum *d* magiſtram: ut quidquid dubitatur ab aliquo, ab ea tandem ejus ratio requiratur. Nos ſiquidem decreviſti provide conſulendos, utrum ſi forte aliqua infirmitate, vel alia juſta cauſa detentus aliquem ſuffraganeorum tuorum conſecrare non poſſes, alicui Coepiſcoporum tuorum vices tuas licitum committere tibi eſſet; & utrum electus, qui pro conſecratione inſtaret, ab eo cui vices tuas taliter commiſiſſes, deberet licite conſecrari. In quo tale damus conſult. t. reſponſum, quod in tali articulo conſtituto, & tuas vices, ut dictum eſt, tibi committere licet, & conſecrandus munus debet ab eo conſecrationis accipere, cui eas duxeris committendas, dummodo *e* catholicus habeatur, & impedimentum ex ſubtractione gratiæ *f* Sed. Apoſt. non obſiſtat. Datum Laterani XVI. Kal. Junii.

N O T Æ.

1 a *Turon.*) Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub tit. de parochiis, c. 4.* & in epiſtolis Innocentii III. correctis a Sirleto, *pag.* 441. De Turonenſi Eccleſia aliqua notavi *in c. ad aures 8. de temporib. ordin.* Hæc deciſio miſſa eſt Juello de Mateſellon Archiepiſcopo Turonenſi, qui in ea Eccleſia floruit temporibus noſtri Innocentii.

2 b *Quod ſedem.*) Ita etiam exorditur Pontifex *in c. quod ſedem, de decimis, c. quod ſedem, de regularibus, c. quod ſedem, de frigidis.*

3 c *Conſtitutionis.*) Quando videlicet Chriſtus Dominus dixit B. Petro apud Matthæum *c. 16. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Et apud Lucam *c. 22. Ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua.* Unde nihil uſitatius omni ævo in Eccleſia, quam ut ſi quid fidei religionive congruum eſſet ſtatuendum, ambiguumve decidendum, Apoſtolica Sedes conſuleretur. B. Leo *ep.* 89. ad Epiſcopos Viennenſis provinciæ: „ Nobiſcum itaque veſtra fraternitas recognoſcat, Apoſtolicam Sedem pro ſui reverentia a veſtræ etiam provinciæ Sacerdotibus (ideſt Epiſcopis,) innumeris relationibus eſſe conſultam, & pro diverſarum, quemadmodum vetus conſuetudo poſcebat, appellatione cauſarum, aut retractata, aut confirmata fuiſſe judicia.

d *Magiſtram.*) Ut probavi *in c. 1. in fine, de ſumma Trinitate.*

4 e *Catholicus.*) Catholici nomen cœpit in Eccleſia, cum hæreſes pullularunt; nam ut diſtinguerentur baptizati retinentes veram, & orthodoxam fidem, ab illis qui in hæreſim aliquando lapſi, aut relapſi fuerant, Catholici dicebantur, ut ſic certa quaſi teſſera fidei puri fideles ab adulterinis ſecernerentur; ſed ſtatim & ipſi hæretici illud nomen uſurparunt. Lactantius *l. 4. de vera ſapientia, in fin.* " Singuli quique cœtus hæreticorum ſe potiſſimum Chriſtianos, & ſuam eſſe Catholicam Eccleſiam putant, *D. Auguſt.* ep. 68. Unde cœperunt Chriſtiani uti his nominibus, Catholici Chriſtiani. *Concilium Laod.* can. 31. *Agat.* can. 67. Ne quis hæreticis filias ſuas in matrimonium det, niſi hi ſe Chriſtianos catholicos futuros eſſe profiteantur. *Concil. Carthag.* 3. can. 3. Ut Epiſcopi, vel clerici in eos, qui catholici chriſtiani non ſunt, ideſt, qui ſunt hæretici, licet conſanguinei fuerint, aliquid rerum ſuarum nec per donationem, nec per teſtamentum conferant. *Concilium African.* c. 3. Ut Epiſcopi, & Presbyteri, & Diaconi non ordinentur prius quam omnes, qui ſunt in domo eorum, Chriſtianos Catholicos fecerint. „ Carthag. 4. *can.* 43. *l. 2. C. Theodoſ. de fide Catholica.* Plura adducit Fileſacus *in Præſenti*, §. 5. Unde Epiſcopus Catholicus in præſenti accipitur pro Orthodoxo hæreſi non maculato. De antiquitate cognominis Catholici in Magnis Hiſpaniæ noſtræ Monarchis videndi ſunt Sahabedra *in Corona Gothica, c.* 15. Valdes *de dignit. Regum Hiſpaniæ.*

5 f *Gratiæ Sedis Apoſtolicæ.*) Ideſt, non ſit ſchiſmaticus, aut excommunicatus; illi enim non poſſunt Ordines conferre, ut probavi *in c. 2. de ſacram. non iterand. c. cum bone, de ætat. & qualit.* Ex hoc textu deducitur, ex commiſſione, & delegatione Archiepiſcopi poſſe ſuffraganeum conſecrare Coepiſcopum: quod quomodo procedat, expoſui *in c. ſi Epiſcopus, de temporib. ordin. c. ſuffraganeis 11. de elect.* Illud tantum in præſenti notandum venit, Archiepiſcopum committentem conſecrationem Epiſcopi, debere eam delegare Coepiſcopo antiquiori ipſius provinciæ. Conſonat Leo Magnus *ep. 89. ad Epiſcopos Viennenſis provinciæ*, ubi aſſerit, committendam eſſe conſecrationem Epiſcopo illi, qui ceteros ſacerdotii, ideſt antiquitate Epiſcopatus præcellit.

C A P U T XI.

Idem *Epiſcopo* a *Helienſi.*

PAſtoralis officii. *Et infra:* Ex parte tua fuit inſuper requiſitum, utrum ſi aliqua cauſa fuerit ad Archiepiſcopum per appellationem delata, poſſit eamdem jure ordinariæ poteſtatis ſuffraganei ſui ſubdito delegare, vel animadvertere in eumdem, ſi cauſam renuerit ſuſcipere delegatam. Ad quod utique reſpondemus, quod Archiepiſcopus ipſum ad ſuſcipiendam delegationem hujuſmodi compellere nequit *b* invitum, cum in eum, exceptis *c* quibuſdam certis articulis, nullam habeat poteſtatem, licet Epiſcopus ſuus eidem ſit *d* Metropolitica lege ſubjectus. *Et infra:*